



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

XXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Hoc loco defunt nonnulla in duobus MS. codicibus, quæ sola habuimus.

De S. Hermete martyre videat Lector 3. Maij. in Martyrio S. Alexan.
dri Papæ, &c. Tomo 3.

VITA S. AVGVSTINI EPISCOPI PRÆSTAN-
TISSIMI ECCELESIAE DOCTORIS, EDITA A POS.

* Possido-
nio

fidio, primum eius discipulo, postea Episcopo Calamensi.

PROLOGVS AVTHORIS.

Inspirante rerum omnium factore & gubernatore Deo, mei me-
mor propositi, quo per gratiam Saluatoris, omnipotenti ac diuine
Trinitati per fidem seruire decreui; et antea in vita laicorum, & nunc
in officio Episcoporum studens ex qualicunq; accepto ingenio &
sermone adificationi prodesse sanctæ ac veræ Christi Domini ca-
tholicæ Ecclesiæ de vita ac moribus prædestinati & suo tempore præ-
sentati sacerdotis optimi Augustini, quæ in eodem vidi, ab eodem
que audiui, minime reticere debeo. Id enim etiam ante nos factita-
tum fuisse à religiosis sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ viris, legimus & compe-
rimus; qui diuino afflati spiritu, sermone proprio atque stylo, & auribus & oculis sci-
re volentium, dicendo & scribendo, similia studiosorum notitiæ intulerunt, quales
quantique viri sancti ex communi Domini gratia in rebus humanis & viuere, & vsque
in finem obitus perseverare meruerunt. Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium
minimus, fide non ficta, qua Domino dominatum omnibusque bonis seruiendum
& placendum est fidelibus; de prædicti venerabilis exortu viri & procurfu & debito fi-
ne, quæ per eum didici & expertus sum; quamplurimis annis eius inhærens charitati,
vt Dominus donauerit, explicandum suscepi. Verum summam quæso maiestatem,
quò munus huiusmodi à me arreptum ita geram & peragam; vt nec patris luminum
offendam veritatē; nec bonorum ecclesiæ filiorum vlla ex parte fraudare videar cha-
ritatem. Nec enim attingam ea omnia insinuare; quæ idem beatissimus Augustinus
in suis Confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qua-
lisque iam sumpta viueret, designauit. Hoc enim facere voluit, vt ait Apostolus; ne
de se quisquā hominum supra, quam se esse nouerat, aut de se auditum fuisset, crede-
ret vel putaret, humilitatis sanctæ more utens, & iam nullū fallens; sed laudē non suā,
sed sui Domini, de propria liberatione ac munere querens; ex ijs videlicet, quæ iam præ-
ceperat, & fraternas preces poscens de ijs, quæ accipere cupiebat, Sacramentum igitur
Regis, quod Angelica authoritate prolatum est, bonum est abscondere; opera autem
Domini reuelare & confiteri; honorificum est.

Iacob. 1.

2 Cor. 12.

Tob. 13.

NARRATIO.

CAP. I.

LITVR beatissimus Augustinus ex prouincia Aphri-
cana ciuitate Thagastensi, de numero curialium, parenti-
bus honestis & Christianis progenitus erat; alitusque ac
nutritus eorum cura ac diligentia impensisque, seculari-
bus literis eruditus apprimè; omnibus videlicet discipli-
nis imbutus, quas liberales vocant; Nam & Grammaticā
prius in sua ciuitate, & Rhetoricā in Aphricæ capite Car-
thagine postea docuit; Consequenti etiam tempore trans-
mare in vrbe Roma, & apud Mediolanum, vbi tunc tem-
poris Imperatoris Valentiniani minoris comitatus fue-
rat constitutus. In qua vrbe tunc Episcopatum admini-
strabat, acceptissimus Deo, & in optimis viris præclarissimus sacerdos eximius Am-
bro.

Augusti 22.
Patria & pa-
rentes S. Au-
gustini.

S. Ambrosij
encomion:
bro.

brofius; Huius interea verbi Dei prædicatoris frequentissimis in ecclesia disputationibus adfians in populo, intendebat suspensus atq; affixus. Verum aliquando Manicheorum apud Carthaginem adolefcens fuerat errore seductus; & ideo cæteris suspensior aderat, nè quid vel pro ipsa, vel contra ipsam hæresim diceretur, Sed prouenit Dei liberatoris clementia, sui sacerdotis Ambrosij cor pertractantis, vt contra illum errorẽ incidentes legis soluerentur quæstiones, atq; ita edoctus sensim atq; paulatim, hæresis illa miseratione diuina eius ex animo pulsa est; Protinusq; ipse in fide catholica confirmatus est, proficiendi in religione eidem amoris ardor tantus innatus est, vt p̄p̄inquantibus diebus sanctis Paschæ salutis aquam perciperet; Et factum est, diuina præstante opitulatione, vt per illum talem ac tantum antistitẽ Ambrosium; & doctrinam salutarem Ecclesiæ catholicæ; & diuina Augustinus perciperet sacramenta,

Augustinus
Manicheus.

Baptizatur
ab Ambro-
sio.

CAP. II.

Mira con-
uersio. **M**oxque ex intimis cordis medullis ad Deum conuersus, spem omnem, quam habebat in seculo, dereliquit, iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores seculi quarens, sed soli Deo cum suis seruire statuit, in illo & ex illo pu-
Luc. 12. fillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens; Nolite timere pusillus grex; quoniam complacuit patri vestro vobis dare regnum; Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam; Facite vobis sacculos non veterascentes, thesauros non deficiẽtes in cælis, Et illud, quod iterum dicit Dominus; idem vir sanctus facere cupiens. Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me; Et super fidei fundamentum ædificare desiderans; non lig-
Matth. 19. na, foenum, stipulam, sed aurum, argentum & lapides preciosos, Et erat tunc annis maior triginta, sola superstitite matre, nomine Monica, sibiq; adhærente; & de suscep-
1. Cor. 3. to eius proposito seruiendi Deo amplius, quàm de carnis nepotibus exultante, Nam eius pater, Patritius dictus, antea defunctus erat, Renunciavit etiam scholasticis, quos Rhetoricen docebat, vt sibi magistrum alium prouiderent; eo quod seruire Deo ipse decreuisset,

CAP. III.

Proficisci-
tur in patriã
vbi ieiunij,
orationib;,
ac pijs vaca-
bat operib;.

A placuit ei, percepta baptismi gratia, cum alijs ciuibus & amicis suis, Deo pariter seruientibus, ad Aphricam & propriam domum agrosq; remeare, Ad quos veniens, & in quibus constitutus ferme triennio, & à se iam alienatis curis secularibus, cum ijs, qui eidem adhærebant, Deo viuere, ieiunij, orationibus, bonisq; operibus vacans, in lege Domini meditans die ac nocte, Et de ijs, quæ sibi Deus cogitanti atq; oranti intellecta reuelabat, & presentes & absentes sermonibus ac libris docebat, Contigit fortè eodem tempore, vt quidam ex ijs, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem regium constitutus, benè Christianus Deumq; timens, cõperta eius boni huius oēs contènere cupiditates atq; optaret eum videre, p̄mittens se posse munda-
Eius studiũ
in lucrãdis
animis. di huius audire meruisset, Quod cum ad se fidei fuisset relatione delatum, liberare animã cupiens ab huius vitæ periculis, morteq; æterna, ad memoratam vltro atq; confestim venit ciuitatẽ, & hominẽ visum allocutus frequẽtius atq; exhortatus est, quãtum Deus donabat, vt quod Deo vouerat, redderet, Hęc se ille facturũ de die in diem pollicebatur, nec tamen in eius tunc hoc impleuit præsentia, Sed vacare vtiq; & inane esse non potuit, quod per tale vas mũdum, in honorem vtilẽ Domino, ad omne opus bonum paratum, in omni loco diuina gerebat prouidentia,

CAP. III.

Valerius E-
piscopus
Hipponen-
Ordinatur
presbyter S.
Augustinus

Eodem itaque tempore in ecclesia Hipponensi catholica, Valerius sanctus Episcopus eum gererebat, Qui cum, flagitante ecclesiastica necessitate, de prouidendo & ornando presbytero ciuitatis, Dei plebẽ alloqueretur, & exhortaretur, iam scientes catholici sancti Augustini propositum & doctrinam, manu iniecta, quoniam & idem in populo securus & ignarus, quid futurum esset, adstabat, Solebat autẽ laicus, vt nobis dicebat, ab eis tantum ecclesijs, quæ non haberent Episcopos, suam abstinere præsentiam, Eum ergò tenuerunt, & vt in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id vno consensu & desiderio fieri perficiq; petentibus, magnoq; studio & clamore flagitantibus, vbertim eo flente, nonnullis quidem lacrymas eius vt nobis ipse retulit, tunc superbè interpretantibus, & tanq̄ eum consolantibus ac di-

cenã.

centibus; quia locus presbyterij, licet ipse maiore dignus esset, appropinquaret tamen Episcopatu, cum ille homo Dei, ut nobis retulit, maiori consideratione intelligeret & gemeret; multa, & quam magna suae vitae pericula de regimine & gubernatione ecclesiae impendere ac iam hinc provenire spectaret; atque ideo fletet. Et eorum tunc, ut voluerunt, completum est desiderium,

CAP. V.

Factus ergo presbyter, monasterium intra ecclesiam mox instituit, & cum Dei servis vivere coepit secundum modum & regulam, sub sanctis Apostolis constitutam. Maxime, ut nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia; & distribueretur unicuique, prout cuique opus erat; quod iam ipse prior fecerat; dum de transmarinis ad sua remeasset, Sanctus vero Valerius ordinator eius, ut erat vir piissimus & Deum timens, exultabat & Deo gratias agebat, suas exauditas a Domino fuisse preces; quas se frequentissime fuisse narrabat; scilicet ut sibi diuinitus homo concederetur talis, qui posset verbo DEI & doctrina salubri, Ecclesiam Dei aedificare; cui rei se homo natura Graecus, minusque Latina lingua & literis instructus; minus vilem peruidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in ecclesia Evangelium praedicandi, ac frequentissime tractandi; contra usum quidem et consuetudinem Africarum ecclesiarum, Unde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant, Sed ille vir venerabilis ac providus, in Orientalibus ecclesijs id ex more fieri sciens, utilitati ecclesiae consulens, obtractatorum non curabat linguas, dum modo factitaretur a presbytero, quod a se Episcopo impleri minime posse cernebat, Unde accensa & ardens, eleuata super candelabrum lucerna; omnibus qui in domo erant, lucebat, Et postea corrente & volante huiusmodi fama, bono precedente exemplo, accepta ab Episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram Episcopis, populis tractare coeperunt verbum Dei,

Construit
monasterium
in quo secū
dum Regu
lā Apostoli
cam ab eo
conscriptā
monachos
vivere vo
luit.

Math. 4.
Luc. 8.

CAP. VI.

Sane tunc in illa Hipponensi vrbe Manichaeorum pestilentia quam plurimos ciues & peregrinos infecerat & penetrauerat; seducente & decipiente eiusdem haeresis quodam presbytero, nomine Fortunato, ibidem conuersante atque morante, Interea Hipponenses ciues & peregrini Christiani, tam catholici, quam etiam Donatistae, aduertunt Augustinum presbyterum, atque deposcunt, ut illum hominem Manichaeorum presbyterum, quem doctum credebant, viderent; & cum eodem de lege tractaret, Quod idem, ut scriptum est, paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide & spe, quae in Deo est, potensque; exhortari in doctrina sana, & contradicentes redarguere, minime renuit; sed vtrum etiam hoc Fortunatus fieri vellet, sciscitatus est, At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, perentes & exhortantes ac flagitantes, quod id minime recusaret, Sane quoniam idem Fortunatus iam apud Carthaginem sanctum nouerat Augustinum, adhuc in eodem secum errore constitutum; cum eodem congruendi pauitabat, Veruntamen suorum maxime instantia coactus ac verecundatus, promissit cominus se esse venturum; certamenque; disputandi subitum. Unde condito die & loco, conuenerunt in vnum, concurrentibus quam plurimis viris studiosis turbisque curiosis; & apertis notariorum tabulis, disputatio coepta primo, & secundo finita est die, In qua ille Manichaeus praeceptor, ut gestorum continet fides, nec Catholicam assertionem potuit euacuare, nec Manichaeorum sectam subnixam veritate valuit comprobare; sed deficiens responsione, vltimo collaturum se cum suis maioribus ea, quae refellere non potuit, profectus est; & si sibi forte de his satis minime fecissent, suae animae consulturum; atque ita ab omnibus, apud quos magnus & doctus videbatur; nihil valuisse in suae sectae assertionem iudicatus est, Qua ille confusione affectus, & sequenti tempore de Hipponensi ciuitate profectus, ad eandem amplius non remeauit; Ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa, quae gesta sunt, cognouerant, error ille ablatum, catholicaque est intimata ac compta sincera religio,

Fortunatus
presbyter
Manichaeus

Tit. 12.

Disputat cum
Fortunato
Augustinus

Confusions
affectus
Fortunatus
abit.

CAP. VII.

ET docebat ac predicabat ille priuatim & publice, in domo & in ecclesia salutis verbum cum omni fiducia aduersus Africas haereses; maximeque; contra Donatistas, Manichaeos & Pelagianos; libris confectis, ac repetitis sermonibus, ineffabili

Hereticos
egregie con
futat Augu
stinus.

liter admirantibus Christianis & collatantibus, & hoc ipsum, vbi poterant, non tantum centibus, sed diffamantibus. Sicque, adiuuante Domino, leuare in Africa Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illis conualescentibus hæreticis, precipueque rebaptizante Donati parte maiorem multitudinem Afrorum, seducta & oppressa iacebat. Libros vero eiusdem siue tractatus, mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos omni rationis copia, atque autoritate sanctorum scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes, cum Catholicis ingenti ardore audiebant, & quisquis, ut voluit & potuit, notarios adhibens, etiam ea, quæ dicebantur, excepta descripsit. Et inde iam per totum Africæ corpus præclara doctrina, odorque suauissimus Christi, diffusa & manifestata est, congaudente, hoc quoque comperto, Ecclesia Dei transmarina. Quoniam sicut dum patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, ita etiam cum glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Per idem tempus coram Episcopis, hoc illi iubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hippone agebant, de fide & simbolo presbyter adhuc Augustinus disputauit.

1. Cor. 12.

Hippone
Concilium.

CAP. VIII.

Attende
solum beati
Valerij
autum.
mum. qui
Ecclesiam
facit.
lun studens
rogat Au-
gustinum
sui loco or-
dinari Epi-
scopum.

Ille vero beatus senex Valerius, ceteris ex hoc amplius exultans, & Deo gratias agens de concessio sibi speciali beneficio, metuere cepit, ut est humanus animus, ne ab alia ecclesia sacerdos probatus ad Episcopatum quæreretur, & sibi auferretur. Nam & id prouenisset, nisi & hoc idem Episcopus cognito, ad locum secretum eum transire curasset, occultatumque à quærentibus minime inueniri fecisset. Unde amplius formidans idem venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis literis apud Primate Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrans, ut Hipponensi Ecclesie ordinaretur Episcopus, qui suæ cathedræ non iam succederet, sed cõsacerdos accederet Augustinus. Quæ igitur beatus Valerius optauit & rogauit, fatagens rescripto impetrauit. Post quam petitionem ad visitandum adueniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidie Megalio Calamensi Episcopo, Valerius Antistes Episcopis, quæ fortè tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponensibus & vniuersæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem, omnibusque audientibus & gratulâribus, atque id fieri perficique, ingenti desiderio clamantibus, Episcopatum suscipere contra morem Ecclesie, suo viuente Episcopo, presbyter Augustinus recusabat. Dumque id fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis & Africæ Ecclesie exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, & Episcopatus curam, & maioris loci ordinationem suscepit. Quod in seipso postea fieri non debuisset, ut viuo suo Episcopo ordinaretur, & dixit & scripsit, propter concilij vniuersalis vetitum, quod iam ordinatus didicit, nec, quod sibi factum esse doluit, alijs fieri voluit. Unde etiam fatigit, ut concilijs constitueretur Episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis, omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda.

Cogitare
Episcopus
Valerio vi-
uente.

CAP. IX.

Atque ita factum est, ut Episcopatu suscepto, multo instantius ac feruentius maiore autoritate, non adhuc in vna tantum regione, sed vbi que, rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac suauiter, pullulante atque crescente Domini Ecclesia, predicaret, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide & spe, quæ in Deum est. Et eius dicta atque, excepta, maxime Donatistæ in eadem Hipponensi vel vicina manentes ciuitate, ad suos Episcopos deferebant. Quæ cum audissent, & econtra forte aliquid dicerent, aut à suis refellebatur, aut eadem res ad sanctum Augustinum deferebatur, eaque, comperta, patienter ac leniter, ut scriptum est, cum timore & tremore salutem omnium operabatur. Ostendens, quod nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque, verum manifestumque, sit, quod Ecclesie Dei fides tenet & docet. Et hæc diebus ac noctibus ab eodẽ iugiter agebantur. Nam & epistolas priuatas ad quoscunque eiusdem erroris Episcopos, & eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque, exhortans, ut vel ab illa se prauitate corrigerent, vel certe ad disputationes venirent. Illi vero causa dissidentie nihil vnquam rescribere voluerunt, sed irati furiosa loquebantur, atque, seductorem deceptoremque, animarum Augustinum esse, & priuatim & publice conclamabant, & velut lupum occidendum esse, in defensionem gregis scilicet sui, dicebant & tractabant, omniaque peccata à Deo indubitanter esse credendum posse dimitti ijs, qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec

Pugna cum
Donatistis.
Philip. 2.Nota fau-
ritiam Dona-
tistarum.

nec homines erubescerent, Et ut eorum causæ diffidentia cunctis innotesceret, elaboravit: & publicis gestis conuenti, non sunt ausi conferre,

CAP. X.

HAbebant etiam iidem Donatistæ per suas penè omnes ecclesias inauditum hominum genus, peruersum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui Circuncelliones dicebantur, Et erant ingenti numero & turba, per omnes ferè Africanae regiones constituti, Qui malis imbuti doctoribus, audacia superba & temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra ius fasque in causis interdicentes hominibus, & nisi obedissent, damnis grauissimis & cædibus afficiebant, armati diuersis telis, bacchantes per agros villasque, vsque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes, Sed dum verbum Dei sedulo predicaretur, & cum ijs, qui oderunt pacem, pacis ratio haberetur, illi pacem loquentem debellabant gratis, Cumque aduersus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant & poterant, se se inde vel eripiebant, vel subducebant, & paci atque vnitati Ecclesie cum suis, quibus poterant, cohærebant, Vnde illi sui erroris congregationem minui videntes, atque augmentis Ecclesie inuidentes, accensi exardescerant ira grauissima, & intolerabiles persecutiones vnitati Ecclesie compacti faciebant, ipsique sacerdotibus catholicis & ministris aggressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium vi inferebant, Nam & multos Dei seruos cædibus debilitauerunt, aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt, Vnde etiam suis iidem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant,

Circuncellionum immanitas.

* incautus

Psal. 119.

Seruiunt in Ecclesie ministris Circuncelliones

CAP. XI.

Proficiente verò doctrina diuina, sub sancto & cum sancto Augustino in monasterio Deo seruientes, Ecclesie Hipponensi clerici ordinari cœperunt, Ac deinde innotescere & clarescere de die in diem Ecclesie catholicae predicationis veritate, sanctorumque seruorum Dei proposito continentiae & paupertate profunda, ex monasterio, quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere Episcopos & clericos pax Ecclesie atque vnitatis & cœpit primò, & postea consecuta est, Nam ferme decem, quos ipse noui, sanctos ac venerabiles viros, continentis & doctissimos, beatus Augustinus diuersis ecclesijs, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit, Similiterque & ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes, Domini ecclesijs propagatis, & monasteria instituerunt, & studio crescente adificationis verbi Dei, cæteris ecclesijs promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium prestiterunt, Vnde per multos & in multis salubris fidei, spei, & charitatis Ecclesie innotescere doctrina, non solum per omnes Africanae partes, verum etiam in transmarinis & per libros editos, atque in Græcum sermonem translatis, ab illo vno homine, & per illum multis, fauente Deo, multa innotescere meruerunt, Atque hinc, ut scriptum est, peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat & tabescebat, serui autem Christi, ut dictum est, cum ijs, qui oderunt pacem, erant pacifici, & cum loquerentur, debellabantur gratis ab eis,

Nota est Augustino in monasterio vixisse seruos Dei.

Multi eius filij ad Episcopatum assumuntur.

Psal. 119.
Psal. 119.

CAP. XII.

ALiquoties verò etiam vias armati iidem Circuncelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas, instruendasque & exhortandas catholice plebes, quod ipse frequentissime faciebat, Et aliquando contigit, ut illi succenturiati haecenus perderent captionem: euenit quidem Dei prouidentia, sed ductoris hominis errore, ut per aliam viam cum suis comitibus sacerdos quò tendebat, venisset, atque per hunc, quem postea cognouit, errorem manus impias euasisset, Et cum in omnibus liberatori Deo gratias egisset, illi omnino suo more nec laicis, nec clericis pepercerunt, sicut publica testantur gesta, Interea silentium non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregij in ecclesia viri studium, domusque Dei zelum, aduersus predictos rebaptizatores Donatistas gestum & perfectum est, Cum forte vnus ex ijs, quos de suo monasterio & clero Episcopus ecclesie propagauerat, ad suam curam pertinentem Calamensis ecclesie diocesim visitaret, ut quæ dixerat pro pace Ecclesie, contra illam hæresim predicaret, factum est, ut in medio itinere, cum eorum insidias incurrisset, ægre cum omnibus se comitantibus euasere, inu-

Circuncelliones ei insidiantur.

Is fuit Possidius.

iniuria tamen, ablatis per vim inuentis alijsque rebus, grauissime affectus, De qua re, ne pacis ecclesie amplius impediretur profectus, defensor ecclesie inter leges non siluit, Et preceptus est Crispinus, qui iisdem Donatistis in Calamensi ciuitate & regione Episcopus fuit, predicator scilicet falsus, & multi temporis doctor, ad multam tene-ri aurariam, publicis legibus contra haereticos constitutam, Qui resultans legibus, cum presentatus apud Proconsulem se negaret haereticum, oborta est necessitas, vt illi, recedente Ecclesie defensore, a catholico Episcopo resisteretur, & conuincere-tur, cum esse, quod se fuisse negauerat, Quoniam si a Catholico dissimularetur, forte Catholicus Episcopus, qui erat haereticus, crederetur, illo se, quod erat, negante, atque ita ex hac defidia infirmis scandalum nasceretur, Et tunc memorabili Augustino an-tistite omnimodis instante, ad controuersiam ambo ipsi Calamenses Episcopi, Ca-tholicus scilicet & haereticus, uenerunt, & de ipsa diuersa communionem tertio confi-ctu secum egerunt, magna populorum Christianorum multitudinem causa exitum, & apud Carthaginem, & per totam Africam expectante, atque ille Crispinus procon-sulari & libellari sententia est pronunciatus haereticus, Proque illo apud cognitorem catholicus Episcopus intercessit, ne auraria multa exigeretur, & ei beneficium est im-petratum. Vnde cum ingratus ad pijsimum principem prouocasset, ab Imperatore est responsum & consequenter preceptum, nullo prorsus loco haereticos Donatistas esse debere, & eos ad vim legum omnium, contra haereticos latarum, ubique teneri debere, Ex quo & idem Crispinus, & ceteri sibi compares haeretici, precepti sunt de-nas auri libras fisci iuribus inferre, Sed protinus opera data est per Catholicos Epi-scopos, precepit per sanctae memoriae Augustinum, vt illa omniu condemnatio, me-morati principis dimitteretur indulgentia, Et Domino adiuuante, perfectum est, Qua diligentia & sancto studio multum creuit sancta Ecclesia,

Crispinus
haereticus
confusus
succumbit.

CAP. XIII.

ET de his omnibus, pro pace Ecclesie gestis, Augustino Dominus & hic palma de-dit, & apud se iustitia coronam referuauit, ac sic magis magisque iuuante Chri-sto, de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis unitas, & Ecclesie Dei frater-nitas, Et id maxime factum est post Collationem, quae ab vniuersis Episcopis Catho-licis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum Episcopis postmodum facta est, ad-iuuante gloriosissimo & religiosissimo Imperatore Honorio, propter quod perficien-dum, etiam a suo latere Tribunum Marcellinum ad Africam iudicem miserat, In qua controuersia illi omnimodis confutati, atque de errore a catholicis conuicti, sen-tentia iudicis notati sunt, & post eorum appellationem, pijsimi Regis responso iuste inter haereticos condemnati sunt, Ex qua ratione solito amplius eorum Episcopi, cum suis clericis & plebibus communicauerunt, & pacem tenentes Catholicam, mul-tas eorum, qui catholicam aspernabantur fidem, persecutiones, vsque ad membro-rum amputationem & interuentionem pertulerunt, Et totum illud bonum, vt dixi, per sanctum illum hominem Augustinum, consentientibus coepiscopis & pariter sat-agentibus, & ceptum, & perfectum est,

Collatio Ca-tholicorum cum Dona-tistis apud Carthaginem

CAP. XIII.

PORRO autem quoniam post illam, quae cum Donatistis facta est, Collationem, non defuerunt qui dicerent, permisos non fuisse eosdem Episcopos apud potestatem, quae causam audiuit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam catholicae communionis cognitor suae fauebat Ecclesiae, licet hoc deficientes & victi, ad excusationem iactarent, quando quidem & ante controuersiam iisdem haeretici catholice communionis eundem esse nouerant, & cum ab eodem conuenirentur publicis gestis, quae ad Collationem oc-currerent, se esse facturos persecuti sunt, Poterant utique suspectum cum habentes recu-sare congressum, tamen omnipotentis Dei praestitit auxilium, vt postea in Cesarensi Mauritaniae ciuitate constitutus venerabilis memoriae Augustinus, quod eum venire cum alijs coepiscopis Sedis Apostolicae literae compulerunt, ob terminandas videli-cet alias Ecclesiae necessitates, haec ergo occasione prouenit, vt Emeritum, eiusdem lo-ci Donatistarum Episcopum, quem suae sectae preceptum in illa Collatione habuerunt defensor, videret, & cum eodem publice in ecclesia, populo adstante diuersae com-munionis, ex hoc ipso disputaret, & prouocaret gestis Ecclesiasticis, vt quod forte, sicut

Nota autho-ritatem R5. Pontificis.

sicut dicebant, prosequi potuit in Collatione, sed pmissus non fuerat, in presenti sine alicuius potestatis prohibitione aut potentia, securus dicere mini me dubitaret, & in sua ciuitate, suis omnibus presentibus ciuibus, fiducialiter propriam defendere communionem non denegaret, Ille nec hac hortatione, nec suorū parentum & ciuiū instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur se ad eius redituros cōmunionem, etiam cum discrimine patrimoniorum, salutisq; suae temporalis, si modò catholicam superaret assertionem, At ille amplius dicere illis gestis nihil voluit, nec valuit, nisi tantum, Nam illa, inquit, gesta continētur apud Carthaginem inter Episcopos cōfecta, vtrum vicerimus, an victi fuerimus, Et dum à notario alio loco, vt responderet, admoneretur & reticeret, eius cunctis manifestata diffidentia, Ecclesiae Dei augmenta ac firmamenta prouenerunt, Quisquis ergò diligentiam & operā beatissimae memoriae Augustini pro Ecclesiae Dei statu cognoscere plenius voluerit, etiam illa percurrat gesta, & inueniet quae vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem & praedicatum hominem prouocarit, hortatusque fuerit, vt pro suae defensione partem, quod vellet ediceret, illumque victum cognosceret.

*Emeritus
haereticus
vincitur.*

CAP. XV.

Scio item non solum ipse Possidius praesul, qui vitam hanc conscripsit, verum etiam Salij fratres & conferui, qui nobiscum tunc intra Hipponensem ecclesiam cum eodem sancto viro viuebant, nobis pariter ad mensam constitutis cum dixisset: Aduertis hodie in ecclesia meum sermonem, eiusque initium & finem contra meam consuetudinem processisse, quoniam non tam rem terminatam explicuerim, quam proposueram, sed pendentem reliquerim? Cui respondimus: Ita nos in tempore miratos fuisse & scimus, & recognoscimus. At ille: Credo, ait, quod forte aliquem errantem in populo Dominus per nostram obliuionem & errorem doceri & curari voluerit, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri, Nam cum propositae quaestionis latebras pertractarem, in alium sermonis excursus perrexi, atque ita non conclusa vel explicata quaestione, disputationem terminaui, magis aduersum Manichaeorum errorem, vnde nihil dicere decreueram, disputans, quam de ijs, quae asserere proposueram, Et post haec, nisi fallar, eccè alio die vel post biduum venit quidam, Firmus nomine, negotiator, & intra monasterium sedente sancto Augustino coram nobis, ad pedes eius genibus peruolutus, sese iactauit, lachrymas fundens, & rogans, vt pro eius delictis sacerdos cum suis Dominum deprecaretur, confitens quod Manichaeorum secta secutus fuisset, & in ea quamplurimis annis vixisset, & propterea pecuniam multam ipsis Manichaeis, vel eis, quos dicunt electos, incassum erogasset, ac se in Ecclesia per Dei misericordiam fuisse eius tractatibus nuper correctum, atque catholicum factum, Quod & ipse venerabilis Augustinus, & nos, qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potissimum in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, & referente eo, nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes & stupentes, glorificauimus sanctum eius nomen & benediximus, qui cum voluerit, & vnde voluerit, & quomodo voluerit, & per scientes, & per nescientes animarum operatur salutem, Ex eo ille homo proposito seruorum Dei adhaerens, negotiatoris dimisit actionem, & proficiens in Ecclesiae membris, in alia regione ad presbyterij quoque Dei voluntate petitus & coactus officium accessit, tenens atque custodiens propositi sanctitatem, & forte adhuc vsque nunc in rebus humanis viuit trans mare constitutus,

*Possidius ille
huius historiae scriba
pro.*

*Manichaeus
conuertitur
eius occasione
non sine mi-
raculo.*

CAP. XVI.

Apud Carthaginem quoque, dum per quendam domus regiae procuratorem, nomine Ursium, fidei catholice hominem, ad quosdam Manichaeorum, quos electos vel electas dicunt, blasphemis operibus praesentes perueniretur, atque ad ecclesiam ab eodem deducerentur, & perducerentur ab Episcopis, ad tabulas auditi sunt. Inter quos etiam sanctae memoriae Augustinus fuit, qui praeter ceteris illam execrabilem sectam nouerat, & eorum prodens eiusmodi damnabiles blasphemias, ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichaei, vsque ad confessionem earundem blasphemiarum eos perduxit, & quae inter se illi suo more malo indigna & turpia facere consueuerunt, a conscientia illarum velut electarum prodicione, illis ecclesiasticis gestis declaratum est. Atque ita pastorum diligentia Dominico gregi & augmentum accessit, & aduersus

*Sanctus Au-
gustinus Ma-
nichaeos ad
confessionem
suarum blas-
phemiarum
vsque per-
ducit.*

fures

Felix Manichæus conuertitur.

fures atq; latrones defensio competēs procurata est. Cum quodā etiā Felice de numero eorum, quos electos dicunt, iisdem Manichæi, quiq; Hipponem venerat, eundem feminaturus errorem, publicè in Hipponensi ecclesia notarijs excipientibus disputauit beatus Augustinus, populo adstante, & post secundam vel tertiam collationē ille Manichæus, frustrata vanitate & errore illius sectæ, ad nostram conuersus est fidem atq; Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura.

CAP. XVII.

Pascētius Comes fidē catholicam oppugnat atrocissime.

Impudens Pascētij mendaciū.

Disputat cū Maximino S. Augustinus.

PRæterea cum quodam etiam Pascētio; Comite domūs regię Arriano, qui per auctoritatem suæ personæ fisci vehementissimus exactor, fidem Catholicam atrociter ac iugiter oppugnabat, & quamplurimos sacerdotes Dei, simpliciore fide viuentes, dicacitate ac potestate exagitabat & perturbabat, præsentibus honoratis & nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo prouocatus, coram contulit. Sed idem Hæreticus tūm fieri volebat, ut adessent omnimodò recusauit: & dum id pernegasset, dicens quòd legum metu publicarum periclitari tabulis scriptis nollet: interpositis stylo & tabulis, Augustinus Episcopus cum suis, qui aderant, confacerdotibus id placere uideret, ut absque vlla scriptura priuatim disputarent, collationem suscepit, prædicens quòd postmodum contigit, quòd post solutum conuentum esse cuiquam posset liberum fortè dicere, nullo scripturæ documento se dixisse, quòd fortè nò dixerit, vel nò dixisse, quòd dixerit. Et sic miscuit cum eodem sermonem, atq; asseruit quid crederet, & ab illo, quid teneret, audiuit, & vera ratione atque autoritate scripturarum probata docuit & ostendit nostræ fidei firmamētā. Illius autem asserta, nulla veritate, nulla scripturarum sanctarum autoritate iussulta docuit & frustraui. Et vrā seuuicē partes digressæ sunt, ille magis magisq; iratus & furens, mendacia multa pro fide sua falsa iactabat, victum esse à seipso proclamans, multorum ore laudatum Augustinū. Quæ cum illum venerabilem virū minimè laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascētium, propter illius metum ommissis nominibus cōferentium: & in eis literis, quicquid inter partes dictum vel gestū fuerat, fideliter intimaui, ad ea, si negarentur probanda magnam testium habens copiam, clarissimos scilicet atq; honorabiles, q tunc aderant, viros. Atque ille ad duo sibi directa scripta, vnum vix reddidit rescriptum: in quo magis iniuriam facere, quàm suæ sectæ rationem valuit declarare. Quod à volentibus & à valentibus legere comprobatur. Cum ipsorum quoq; Arrianorū Episcopo quodam Maximino, cum Gotthis ad Aphricam veniente, apud Hipponem quampluribus volentibus atq; petentibus, & præclaris interpositis viris, contulit, & quid singulari asseruerint partes, scriptum est. Quæ si studiosi diligenter legere voluerint, proculdubio indagabunt, & quid callida & irrationabilis hæresis ad seducendum & decipiendum profiteatur, & quid Ecclesia catholica de diuina teneat & prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hipponē rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa collatione recessisse iactauit, & metitus est, quæ utique non facile à diuinæ legis ignaris examinari & dijudicari possent: à venerabili viro Augustino sequenti tempore stylo, & illius totius collationis de singulis obiectis & responsis facta est recapitulatio: & quàm nihil ille obiectis referre & responsis contradicere potuerit, nihilominus demonstratum est, additis supplementis, quæ in tempore collationis angusto cūcta inferri & scribi minimè potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis, ut sua nouissima prosecutione multum longissima, totum, quod remanserat, dici spatium occuparet.

CAP. XVIII.

ADuersus Pelagianistas quoque, nouos nostrorum temporū hæreticos & disputatores callidos, arte magis subtili noxia scribentes, & vbiunque poterant, publicè & per domos loquentes, per annos ferme decem laboraui, librorum multa condens & edens, & in ecclesia populis ex eodē errore frequentissimè disputans. Et quoniam iisdem peruersi Sedi Apostolicæ per suam ambitionem eandē perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam concilijs Aphricanis sanctorum Episcoporum gestum est, ut sancto Papæ vrbis Romæ, & prius venerabili Innocentio, & postea sancto Zozimo eius successori persuaderetur, quàm illa secta à Catholica fide abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ Sedis Antistites, suis diuersis temporibus eodem

dem notantes, atq; à membris Ecclesiæ præcidetes, datis literis ad Africas Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ catholicæ prolutum iudicium, etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Vnde nonnulli ex eis, ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, vnde resilièrant, redierunt, & adhuc alij redeunt, innotescente & præualescente aduersus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate. Et erat ille memorabilis vir Augustinus, præcipuum Dominici corporis membrum, circa vniuersalis Ecclesiæ vtilitatē sollicitus semper ac peruegil. Et illi diuinitus donatum est, vt de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere prouenisset: prius quidem in Hipponensi Ecclesia & regione, cui maximè præsidebat vnitatem ac pacem perfectam, deinde in alijs Africæ partibus, siue per seipsum, siue per alios, & quos ipse dederat sacerdotes pullulasse, & multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam peruidens, illosq; Manichæos, Donatistas, Palagianistas & Paganos ex magna parte defecisse, & Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens. Profectibus quoque & studijs fauens erat & exultans bonorum omnium, in disciplina non pie ac sanctè tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, siue eorum, qui intra Ecclesiā, siue eorum, qui extra Ecclesiam sunt constituti, Dominicus, vt dixi, lucris semper gaudens, & damnis mœrens. Tanta autem ab eodem dictata & edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta atque emendata, vel aduersus diuersos hæreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, vt ea omnia vix quisquam studiosorum nōsse & perlegere sufficiat. Veruntamen nē veritatis audissimos in aliquo fraudare videamur, statui, Deo præstante, in huius opusculi fine etiam eorundem librorum, tractatum & epistolarum indiculum adiungere. Quo lecto, qui magis Dei veritatem, quam temporales amant diuitias, sibi quisque, quod voluerit, ad legendum & cognoscendum eligat, & id ad scribendū vel de Bibliotheca Hipponensis ecclesiæ perat, vbi emendatiora exemplaria fortè poterit inuenire: vel vnde valuerit inquirat, & inuenta describat & habeat, & petenti ad scribendum, sine inuidia etiam ipse tribuat.

Pelagiani
dānantur à
Rō. Pontificibus.

Recipitur e-
dictū Pontificis ab Honorio Imperatore.

Magna scriptorum & operū eius copia.

CAP. XIX.

Secundum Apostoli quoque sententiam, dicentis: *Audet quisquam vestrum aduersus alterum negocium habens, iudicari ab iniquis, & non apud sanctos.* An necitis, quia sancti mundum iudicabunt? Et si in vobis iudicatur mundus, indigni estis iudiciorum minimorum. Nescitis quia Angelos iudicabimus, nedum secularia. Secularia igitur iudicia si habueritis inter vos, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocaate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis loquor. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum diiudicare, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Interpellatus ergo beatus Augustinus à Christianis, vel à cuiuscunque sectæ hominibus, causas audiebat diligenter ac pie: cuiusdam verò sententiam ante oculos habens, dicentis se malle inter incognitos, quam inter amicos causas audire: eò quòd de incognitis, pro quo arbitrata æquitate iudicaretur, amicum posset acquirere: de amicis verò vnum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus. Et eas aliquandò vsque in horam refectiois, aliquandò autem tota die ieiunans, semper tamen noscebat & dirimebat, intendens in eis Christianorum momenta animorum, quantum quisque vel in fide bonisque operibus proficeret, vel ab ijs deficeret: atque compertis rerum opportunitatibus, diuinæ legis veritate partes docebat, eamque illis inculcabat, & eos quo adipiscerentur vitam æternam, edocebat & admonebat: nihil aliud quærens ab ijs, quibus ad hoc vacabat, nisi tantum obedientiam & deuotionem Christianam, quæ & Deo debetur & hominibus: peccantes coram omnibus arguens, vt ceteri timorem haberent. Et faciebat hoc tanquam speculator à Domino constitutus domui Israël, prædicans verbum, atque instans opportunè, importunè, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate & doctrina: præcipueque operam dans instruere eos, qui essent idonei & alios docere. Rogatus quoque à nonnullis, in eorum temporalibus causis, epistolas ad diuersos dabat. Sed hanc suam à melioribus rebus occupationem tanquam angariam deputabat: suauem semper habens de ijs, quæ Dei sunt, vel allocutionem, vel collationem fraternam & domesticam familiaritatis.

1. Cor. 6.

Audit causas omnium accuratè & pie.

1. Tim. 4.

Nouimus quoque eum, à suis charissimis literarum intercessum apud seculi potestates postulatam, non dedisse, dicentem, cuiusdam sapientis seruandam esse sententiam; de quo scriptum esset, quod multa suae famae cōtemplatione amicis non praestitisset. Illud nihilominus suum addens, quoniam plerunq; potestas, quae praestat, premit. Cū verò intercedendum esse rogatus videbat, tam id honeste ac temperate agebat, vt non solum onerosus ac molestus nō videretur, verum etiam mirabilis existeret. Nam dum exorta necessitate suo more apud quendam Africæ vicarium, nomine Macedonium, pro supplice literis interuenisset, atque ille paruisset, hoc modo rescriptum transmisit; Miro modo afficior sapientia tua, & in illis, quae edidisti, & in ijs, quae interueniens pro reis mittere non grauaris. Nam illa tantum habent acuminis, scientiae & sanctitatis, vt nihil supra sit, & haec tantum verecundia, vt nisi faciam, quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse, diiudicem, domine merito venerabilis & vere suscipiende pater. Non enim infas, (quod plerique homines istius loci faciunt) vt quodcumq; sollicitus petitor voluerit, extorqueas, sed quod tibi à iudice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones, & rogas subseruente verecundia, quae maxima difficultum inter bonos efficacia est. Proinde statim commendatis effectum desiderij tribui. Nam sperandi viam antè patefeceram.

CAP. XXI.

Sanctorum concilia sacerdotum, per diuersas prouincias celebrata, cūm potuit, frequentaui, non in eis quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, quarens, vt vel fides sanctae Ecclesiae catholicae inuiolata maneret, vel nonnulli sacerdotes & clerici, siue per fas, siue per nefas excommunicati, vel absoluerentur, vel abijcerentur. In ordinandis verò sacerdotibus & clericis, consensum maiore Christianorum, & consuetudinem Ecclesiae sequendam esse, arbitrabatur.

CAP. XXII.

Vestis eius & calceamenta & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, quia his plerunq; vel iactare se insolenter homines solent, vel abijcere, ex utroque non quae Iesu Christi, sed quae sua sunt, iidem quarentes. At iste beatus, vt dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Mensa vsus est frugali & parca, quae quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquandò, propter hospites vel quosque infirmiores, continebat. Semper autem vinum habebat, quantum modicè & temperanter, quia nouerat & docebat, vt Apostolus dicit, quod omnis creatura Dei bona sit, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et vt idem Augustinus in suis Confessionum libris posuit, dicens, Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio enim Noë omnne genus carnis quod cibo esset vsui, manducare permissum, Eliam cibo carnis refectum, Iohannem mirabili abstinentia praeclitum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutū. Scio & Esau lenticulae concupiscētia deceptum, & Dauid propter aquae desiderium à seipso reprehensive, & Regem nostrum, non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque & populus in eremo, non quia carnes desiderauit, sed quia escae desiderio contra Deum murmurauit, meruit improbari. De vino autem sumendo Apostoli extat sententia, ad Timotheum scribentis ac dicentis; Noli vsque adhuc aquam bibere, sed vino modico vtere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Cochlearibus tantum argenteis vtens, caetera vasa, quibus mensa inserebatur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant, nō tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. Sed & hospitalitatē semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat, & contra pestilentiam humanae consuetudinis, in ea ita scriptum habebat.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,

Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Et ideo omnem conuiuium à superfluis & noxijs fabulis & detractionibus sese abstinerere debere admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturae oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquandò reprehendit commotus, vt diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectioe ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego & alij, qui illi mensa interfuius, experti sumus.

Vt pro alijs
intercesserit.

Epist. 51.

Non quae
sua sunt
quaerebat,
sed quae sunt
Iesu Christi

Eius victus
& vestitus.

1. Tim. 4.

Lib. 10. c. 31.

Gen. 9.

3. Reg. 17.

Gen. 25.

2. Reg. 23.

1. Tim. 5.

Leges mensae
suae ipsius.

CAP. XXIII.

PAuperum verò semper memor erat, eisq; in dè erogabat, vndè & sibi suisq; omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est, vel ex redditibus possessionum ecclesiarum, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè, vt assoler, de possessionibus ipsis inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei viuere, quàm illarum possessionum curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere, vt eo modo oēs Dei serui & ministri viuere, quo in veteri testamento leguntur altari deseruientes, de eodè participari. Sed nunquàm id laici suscipere voluerunt.

Eius in pauperes libertas.

CAP. XXIIII.

Domus ecclesiarum curam omnemq; substantiam, ad vices valentioribus clericis delegabat & credebatur. Nunquàm clauem, nunquàm annulum in manu habes, sed ab eisdem domus Prepositis cuncta & accepta, & erogata notabantur. Quæ anno completo eidem recitabantur, quò sciretur, quantum acceptum, quantumq; dispensatum fuisset, vel quicquid indispensatum vel dispensandum remansisset, & in multis titulis magis illius prepositi domus fidem sequens, quàm probatum manifestatumq; cognoscens. Domum verò, vel agrum, seu villam nūquàm emere voluit. Verum si fortè ecclesiarum à quoquam spontè tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi iubebat. Nam & aliquas eum hereditates recusasse nouimus, non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam iustum & æquum esse videbat, vt à mortuorum vel filijs vel parentibus vel affinis magis possiderentur, quibus, ab eis deficientes, dimittere noluerunt. Quidam etiam ex honoratis Hipponensium, apud Carthaginem viuens, ecclesiarum Hipponensi possessionem donare voluit, & cõfectas tabulas, sibi vsu fructu retento, vtrò eidem sanctæ memoriæ Augustino misit. Cuius ille oblationem libenter accepit, congratulans ei, quòd aternæ suæ memoriæ esset salutis. Verum post aliquot annos, nobis fortè cum eodem comuniis constitutis, ecce ille donator literas per filium suum mittens, rogauit vt illarum donationum tabule suo filio redderentur, pauperibus verò erogandos direxit solidos centum. Quo ille sancto cognito, ingemuit, hominem vel finxisse donationem, vel eum de bono opere poenituisse, & quanta potuit, Deo suggerente cordi eius, condolente animo ex eadem refractione dixit, in illius scilicet increpationem & correctionem. Et tabulas, quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas, confestim reddidit, pecuniamque illam respuit, atque rescriptis eundem, sicut oportuit, & arguit & corripuit, admonens, vt de sua simulatione vel iniquitate cum poenitentia humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam graui delicto de seculo exiret. Frequentius quoque dicebat, securius ac tutius ecclesiam legata à defunctis dimissa debere suscipere, quàm hereditates fortè sollicitas & damnosas, ipsaque legata magis offerenda esse, quàm exigenda. Commendata verò quæque ipse non suscipiebat, sed volentes suscipere clericos non prohibebat. In his quoque quæ ecclesia habebat & possidebat, intentus amore, vel implicatus cupiditate non erat, sed maioribus, magis & spiritalibus suspensus & inhaerens rebus, vix aliquandò seipsum ad ista temporalia ab aternorum cogitatione relaxabat & deponere. Quibus citissime ille dispositis & ordinatis, tanquàm à rebus mordacibus & molestis, animi recursum ad interiora mentis & superiora faciebat, quò vel de inueniendis diuinis rebus cogitare, vel de iam inuentis aliquid diceret, aut certè ex iam dictis atque transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrans. Et erat tanquàm illa religiosissima Maria, typum gestans supernæ Ecclesiarum, de qua scriptum est, quòd sederet ad pedes Domini, atque intenta verbum eius audiret. De qua soror conquesta, quòd ab eadem circa multum ministerium occupata non adiuuaretur, audiuit Martha Martha, sollicita es. Elegit optimam partem Maria, quæ non auferetur ab ea. Nam fabricarum nouarum nunquàm studium habuit, deuitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali. Non tamen illas volentes & adificantes prohibebat, nisi tantum immoderatos. Interea dum ecclesiarum pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere, quòd indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captiuos & quamplurimos indigentes, frangi & conflare iubebat, & indigentibus dispensari. Quòd non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorundam fieri peruiderem. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum & dixit & scripsit.

Donata vel legata Ecclesiarum respuebat.

Vide quibus rebus animus occupatur suum.

Luc. 10.

fed & indè de neglecto à fidelibus gazophylacio, & secretario, vnde altari necessaria inferuntur, aliquandò in ecclesia loquens admonebat, quod etiam beatissimum Ambrosium, se præsente in ecclesia tractauisse, nobis aliquandò retulerat.

CAP XXV.

Pœna iurantis.
Nota de certo numero haustuum.
Psalm. 140.

Math. 5.

Cum ipso semper clerici, vna etiam domo ac mensa, sumptibusq; communibus aiebantur & vestiebantur. Et nè quisquam facili iuratione etiam ad periculum decidisset, & in ecclesia populo prædicabat, & suos instituerat, nè quis iuraret, nec ad modicum quidem. Quòd si prolapsus fuisset, vnam de statutis perdebat portionem. Numerus enim erat suis secum commorantibus & conuiuantibus poculorum præfixus. Indisciplinationes quoque & transgressiones suorum à regula recta & honestate, & arguebat, & tolerabat, quantum decebat & oportebat. in talibus præcipue docens, nè cuiusquam cor declinaretur in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis. Docebat ibidem, dum quisque offerret munus suum ad altare, & illic recor. datus fuisset, quòd frater suus haberet aliquid aduersus illum, relinquendum esse munus ante altare, atq; eundem fratrem esse reconciliandum, & tunc veniendum, & munus ad altare offerendum. Si verò ipse aduersus fratrem suum aliquid haberet, corripere eum debere in parte: & si eum audisset, lucratus esset suum fratrem: si minus, adhibendum esse vnum aut duos. Quòd si & ipsos cõtemneret, Ecclesiam adhibendam. Si verò & huic non obediret, esset illi vt ethnicus & publicanus. Et illud addens, vt fratri peccanti & veniam petenti, non tantum septies, sed septuagies septies delictum relaxetur, sicut quisq; à Domino quotidie sibi postulat relaxari.

CAP. XXVI.

Nulla apud se feminã patitur.

Nunquam sine clericis testibus loquutus est mulieribus.

Fœminarum autem intrã domum eius nulla vnq; conuersata est, nulla māsit, nec quidem germana soror: quæ vidua Deo seruens, multo tempore vsq; in diem obitus sui preposita ancillarum Dei vixit. Sed neq; patris sui filia, & fratris sui filia, quæ pariter Deo seruiebant. Quas personas sanctorum Episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore & neptibus secum commorantibus, nulla nasci possit mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine alijs necessarijs secum. que manentibus fœminis esse non possent, & qd ad eas etiam alia à foris intrarent, de ijs posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci, & illos, qui cum Episcopo vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum personis vnã commorantibus aut aduentantibus, tentationibus humanis posse perire, aut certè malis hominum suspicionibus pessimè diffamari: ob hoc ergò dicebat, nunquam debere, fœminas cum seruis Dei etiam castissimis, in vna manere domo, nè, vt dictum est, ali. quod scâdalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus fœminis, vt videretur vel salutareretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis vnquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.

CAP. XXVII.

Iacob. 1.

Officium erga defictos & egros.

In visitationibus verò modum tenebat ab Apostolo definitum, vt nõ nisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si fortè ab agrotantibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præsentem Deum rogaret, eisq; manus imponeret, sine mora pergebat. Fœminarum autè monasteria non nisi urgentibus necessitatibus visitabat. Seruandũ quoq; in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctæ memorie Ambrosij compererat: vt uxorem cuiquam nunq; posceret, neq; militare volentem ad hoc cõmendaret, neq; in sua patria, petitus iret ad conuiuium. De singulis rebus præstans causas, scilicet, nè, dum inter se coniugati, casu iurgarent, ei maledicerent, per quem coniuncti essent. Sed planè ad hoc sibi iam illis consentientibus petitum interesse debere affirmabat sacerdotem, vt vel eorum iam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur. Et nè militiæ commendatus ac malè agens, suam culpam suffragatori tribueret. Et nè per frequentiam conuiuiorum, temperantiæ amitteretur modus. Indicauerat quoque nobis, se prædicti beati viri Ambrosij in vltimo vita constituti audisse sapientissimum & piissimum responsum, & multum laudabat ac prædicabat. Nam cum ille, inquit, venerabilis vltima iaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis, lecto eius adstantibus, & videntibus eum de seculo migraturum ad Deum, & ob hoc mœrentibus, tanti scilicet ac talis antistitis morte ecclesiam posse

posse priuari verbi & sacramenti Dei dispensatione, cum lachrymis rogaretur, vt sibi à Domino vitæ posceret com meatum, eum illis dixisse: non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum dominum habemus. Et hæc noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Ideo enim cum dixisse intelligendum est: Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: Hoc dixerat ad illud, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen aequitatis diuinæ, de bono Domino se dicebat magis, quam de meritis suis, confidere, cui etiam in oratione quotidiana dicebat: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cuiusdam quoque coepiscopi & familiarissimi sui amici, in extremis vitæ de talibus frequentissimum referebat dictum: ad quem quum visitandum iam morti appropinquantem ventitasset, & ille manum gestu se de seculo exiturum significaret, atque à se illi esset responsum, adhuc eum Ecclesiæ necessarium viuere posse, illum, ne putaretur huius vitæ teneri cupiditate, respōdisse ei: Si nunquam, bene? Si aliquando, quare non modò? Et talem sententiam mirabatur & laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, verum tamen in vilia natum & nutritum, sed non multa lectionis eruditum scientia. Illud etiam cuiusdam ægrotantis dictum afferebat Episcopi, de quo sanctus in epistola sua, quæ de mortalitate scripsit, martyr Cyprianus ita retulit, dicens: Cum quidam de collegis & confacerdotibus nostris infirmitate defessus, & de appropinquante morte sollicitus, com meatum sibi precaretur, adstitit deprecanti, & iam penè morienti iuuenis, honore & maiestate venerabilis, statura celsus, & clarus ad spectum, & quem adstantem sibi vix posset humanus ad spectum oculis carnalibus intueri, nisi quòd talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timeris, exire non vultis: quid faciam vobis?

C A P. X X V I I I.

Ante proximum verò diem infirmitatis obitus sui, à se dictatos & editos recessit libros, siue eos, quos primo tempore cōuersionis suæ ad huc laicus, siue quos presbyter, siue quos Episcopus dictauerat: & quæcumque in his recognouit aliter, quam sese haberet Ecclesiastica regula, à se fuisse dictata & scripta, cum adhuc Ecclesiasticum vultum min⁹ sciret, minusque intelligeret, à semetipso & reprehensa & correcta sunt. Vnde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, De retractatione vel recensione librorum. Præreptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorē emendationem à nonnullis fratribus conquirebatur, licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quædam librorum suorum, præuentus morte, reliquit. Quique prodesse omnibus volens, & volentibus multa librorum legere, & non valentibus, ex utroque diuino testamento veteri & nouo, præmissa præfatione, præcepta diuina seu verita, ad vitæ regulam pertinentia, excerpit, atque ex his vnum codicem fecit: vt qui vellet, legeret: atque in eo, vel quàm obediens Deo, inobediensve esset, agnosceret: & hoc op⁹ voluit Speculum appellare. Verum breui consequenti tempore diuina voluntate & potestate prouénit, vt manus ingens, diuersis telis armata & bellis exercitata, immanium hostium Vandalorum & Alanorum, commixtam secum habentes Gotthorum gentem, aliarumque diuersarum gentium personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis nauibus Africæ influxisset & irruisset, vniuersaque per loca Mauritaniarum, etiam ad alias nostras transiens prouincias & regiones, omni sauiens crudelitate & atrocitate, cuncta quæ potuit expoliatione, cadibus, diuersisque tormentis, incendijs, alijsque innumerabilibus infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus, vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis, seu instrumentis, vel ædificijs. Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem ille homo Dei, & factam fuisse & fieri, non vt cæteri homines, sentiebat & cogitabat: sed altius & profundius eam considerans, & in hac animarum præcipue vel pericula, vel mortes præuidens, solito amplius (quoniam vt scriptum est, Qui apponit scientiam, apponit dolorem, & Cor intelligens, quasi tinea ossibus) fuerunt ei lachrymæ panes die ac nocte, amarissimamque & lugubrem præ cæteris suæ senectutis iam penè extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei ciuitates excidio perditas pariter cum ædificijs, villarumque habitatores alios hostili necē extinctos, alios effugatos atque dispersos, Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras & quosque continentes viduò dispersos: & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interemptos esse, alios

Memorabilis sententia S. Ambrosij

Marth. 6.

Serm. de Mortalitate.

Scribit libros Retractionum.

Speculum Tomo 3.

Barbarorum irruptiones.

Idem faciunt hodieque hæretici.

Ecc. 1.

Confer hæc cum nostris temporibus

in captiuitate, perdita animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hosti-
bus deferuire: hymnos Dei & laudes ab ecclesijs deperisse, ædificia ecclesiarum quam-
plurimis locis ignibus concremata esse: solennia quoque, quæ DEO debentur, de
proprijs locis defecisse: sacrificia ac sacramenta diuina vel non quari, vel quærenti
qui tradat, non facile reperiri: in ipsas montium syluas & cauernas petrarum & spe-
luncas confugientes, vel ad quascunque munitiones, alios fuisse expugnatos & in-
terfectos, alios necessarijs sustentaculis euolutos atque priuatos, vt fame contabesce-
rent: ipsosque ecclesiarum præpositos & clericos, qui fortè Dei beneficio vel eos non
incurrerant, vel incurrentes euaserant, rebus omnibus expoliatos atque nudatos, egē-
tissimos mendicare, nec ijs omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subueniri pos-
se. Vix tres superstites ex innumerabilibus ecclesijs, hoc est, Carthaginensem, Hippo-
nensem & Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, & earum permanent ciui-
tates, & diuino & humano fultæ præsidio, licet post eius obitum vrbs Hipponensis in-
colis destituta, ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala ille homo Dei cu-
iusdam sapientis sententia consolabatur, dicens: Non erit magnus, magnum putas,
quod cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales. Hæc ergo omnia ille, vt erat
altè sapiens, quotidie vbertim flebat. Accreuitque mœroribus & lamentationibus e-
ius, vt etiam adhuc in suo statu consistente, ad eandem Hipponensium regionum
ciuitatem ab ijsdem hostibus veniretur obsidendam. Quoniã in eius tunc defensione
erat constitutus Comes quidã Bonifacius, cum Gotthorum quondam fœderatus ex-
ercitu, quam urbem ferme quatuordecim mensibus conclusã obsederunt. Nam & litus
illi marinum interclusiõe abstulerunt: Quod etiam nos ipsi de vicino cum alijs nostris
coëpiscopis confugeramus, in eademque omni obsidionis tempore fuimus. Vbi nobis
cũ super his infortunijs sapissimè colloquebamur, & Dei tremenda iudicia præocu-
lis nostris posita cõsiderabamus, dicentes: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuũ.
Pariterque dolentes, gementes & flentes, orabamus miserationum patrem & Deum o-
mnis consolationis, vt de eadem nos tribulatione subleuare dignaretur.

CAP. XXIX.

ET fortè prouenit, vt vnã cum eodem ad mensam constitutis, & inde confabulãti-
bus, coepit coram nobis dicere: Noueritis me hoc tẽpore nostre calamitatis De-
um rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si
aliud ei videretur, suos seruos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certè
vt me de hoc seculo ad se accipiat. Quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eo-
dem & nos cum nostris omnibus, & ipsi, qui in eadem fuerant ciuitate, à summo Deo
similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit lecto, febribus
fatigatus, & illa vltima exercebatur agitudine. Nec suum sanè Dominus famulum
fructu suæ precis fraudauit. Nam & sibi ipsi, & eidem ciuitati, quod lachrymosis depo-
scit precibus, in tempore impetrauit. Noui quoque eundem & presbyterum & Epi-
scopum pro quibusdam energumenis petentibus, vt oraret, rogatum: eumque in ora-
tione lachrymas fundentem, Deum rogasse, & dæmones ab hominibus recessisse.
Itemque scio ad eum egrotantem & lecto iacentem, quandam cum suo egroto venisse,
& rogauisse, vt eidem manum imponeret, vt sanus esse posset: eumque respondisse,
si aliquid in his posset, sibi hoc vtiq; primitus præstitisset: illum dixisse, visitatum se
fuisse, sibi que per somnium dictum esse: Vade ad Augustinum Episcopum, vt eidem
manum imponat, & saluus erit. Quod dum comperisset, facere nõ distulit: & illum
infirmum continuò Dominus sanum ab eodem discedere fecit.

CAP. XXX.

INterea reticendum minimè est, cum memorati impendèrent hostes, à sancto viro
nostro coëpiscopo Thabennensis ecclesiæ Honorato, literis fuisse consultũ, vtrum-
nam illis aduentantibus, ex ecclesijs Episcopis vel clericis recedendum esset, an non.
Eique rescriptis in sinuasse, quid magis ab illis euerforibus esset metuendum. Quam
eius epistolam huic scripturæ inferere volui. Est enim sacerdotum Dei & ministro-
rum moribus valdè vtilis & necessaria. Isto modo rescriptum est ad eundem ab eodem:
Sancto fratri & coëpiscopo Honorato, Augustinus in Domino salutè. Charitati tuæ
missio exemplo epistolæ, quam fratri Quoduultdeo nostro coëpiscopo scripsi, puta-
bam me hoc onere caruisse, quod mihi imposuisti, quærendo consilium, quid in his
periculis, quæ in tẽpora nostra venerunt, facere debeatis. Quauis enim epistolæ, &c.

CAP.

*interce-
ptosPostea etiã
has ecclesi-
as Barbari
Ariani oc-
cuparunt.

Psal. 118.

Preces eius
quanti fuc-
runt apud
Deum.
ponderis.Aliquòt s.
Augustini
miracula.Honoratus
Tabennensis
Episcopus.

Epist. 150.

Sanè ille sanctus in vita sua proluxa, pro vtilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ diuinitus condonata, vixit annis septuaginta sex, in clericatu autem vel Episcopatu annis fermè quadraginta. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueuerat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes, absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit vltima, qua defunctus est, ægritudine. Nam sibi iusserat Psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi, de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat iugiter ac vbertim flebat. Et nē intentio eius à quoquam impediretur, ante dies fermè decem, quàm exiret de corpore, à nobis postulauit presentibus, nē quis ad eum ingrederetur, nisi ijs tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei inferretur reseratio. Et ita obseruatum ac factum est, & omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei vsque ad ipsam suam extremam ægritudinem, imprætermisè, alacriter & fortiter, sana mente sanoque consilio in ecclesia prædicauit. Membris omnibus sui corporis incolumis, ad spectu atque auditu, nobis adstantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace cum patribus suis, enutritus in bona senectute, & nobis coram positus, pro eius commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est. Testamentum autem nullum fecit, quia vnde faceret, pauper Christi non habuit. Ecclesiæ Bibliothecam & omnes codices diligenter posteris custodiendos semper iubebat. Si quid verò ecclesia vel in sumptibus, vel in ornamentis habuisset, fideli presbytero, qui sub eodē domus ecclesiæ curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos vel in proposito, vel extrā cōstitutos, in sua vita & morte vulgi more tractauit. Quibus dum adhuc superesset, id, si opus fuit, & cæteris erogauit, non vt diuitias haberent, sed vt aut non, aut minus egerent. Clerum scientissimum & monasteria virorum ac foeminarum continentium cum suis præpositis plena ecclesiæ dimisit, vnā cum bibliothecis, libros & tractatus vel suos, vel aliorum sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in Ecclesia fuerit, noscitur, & in his semper viuere à fidelibus inuenitur. Iuxta quod etiam secularium quidam poëtarum, suis iubens, quo sibi tumultum mortuo in aggere publico collocarent, pro epigrammate finxit, dicens:

Viure post obitum vatem vis nōsse viator?

Quod legis, ecce loquor: vox tua, nempè mea est.

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus & charus sacerdos, quantum lucente veritate videre cōceditur, rectæ ac sanæ fidei, spei & charitatis catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur. Quod agnoscunt, qui eundem de diuinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum & loquentem in ecclesia presentem audire & videre potuerunt, & eius præsertim inter homines conuersationem non ignorauerunt. Erat enim nō solum eruditus scriba in regno cælorum, de thesauro suo proferens noua & vetera, & vnus negotiatorum, qui inuētam perciosam margaritam, quæ habebat, venditis, comparauit, verum etiam ex ijs extitit, ad quos scriptum est: Sic loquimini, & sic facite: & de quibus Saluator dicit: Qui fecerit, & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Peto autem impendit vestram charitatem, qui hæc scripta legitis, vt mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, vt hæc in notitiam & presentium & absentium presentis temporis & futuri hominum, & vellem deferre, & valuissimè, & mecum ac pro me oretis, vt illius quondam viri, cum quo annis fermè quadraginta Dei dono absque amara vlla dissensione familiariter ac dul-

citer vixi, & in hoc seculo æmulator & imitator existam, & in futuro omnipotentis Dei promissis cum eodem perfruar;

Amen.

Nota de
Psalmis,
quos pœni-
tentiales
vocat.

Migrat ad
Dominum.

Sacrificiū
offerretur
pro eo de-
functo.

Nota de
monasteri-
is.

Math. 13.

Jacob. 3.
Math. 13.

Caput primum, De passione eius.

August. 28.

Psal. 33.

Iustorum
orationes
exaudit Do-
minus.



AGNUM in nobis quodammodo igniculum ad iustitiae suae adipiscendum semitam, pietas diuina succendit, cum dicit: Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum: Ostendens, quod qui iustitiam ex toto corde dilexerit, cum precatus fuerit, audiatur à Domino. Vtinam quisque nostrum cum hac tentare coeperit, statim speris mundi scandalis, neglectis concupiscentijs vanis, derelictisque semitis prauis, iustitiae viam expeditus & sine impedimento secularium actionum, conaferatur irrepere. Per hanc enim viam Abel iustus suscipitur, Enoch beatus assumitur, Noë reseruatur, Abraham eligitur, Isaac benedicitur, Iacob dilatur, Ioseph custoditur, Moyses sanctificatur, David praedestinatur, Salomon ditatur, tres pueri inter incendia rorulentae vaticinantur, Daniel inter innocuas bestias pascitur: Per hanc viam Apostoli diriguntur, Martyres beati glorificantur. Et qualiter, inquis? Scilicet dum infirmos curant, mortuos suscitant, praesentia contemnunt, futura desiderant, torrores despiciunt, poenas non sentiunt, ad caelestia regna contendunt. Quod proculdubio virtute propria non obtinerent, nisi per viam iustitiae rectissime incedentes, à Domino audirentur.

Patria S.
Iuliani.

Matth. 10:

Sitit tota
animo de-
uotione
Christum.

Caput ei
amputatur.

Nota mira-
culum.

Sic & inclytus martyr Iulianus, qui Viennensi ortus vrbe, Aruernis datus est martyr, ab hoc igne succensus, hac concupiuit, ac mente tota desiderauit. Quia cum esset apud beatissimum Ferreolum, iam tunc martyrij ardore flagrabat: qui relictis diuitijs ac propinquis, tantum ob solius amorem martyrij Aruernis aduenit. Sed ne hoc sine diuino mandato peregit, cum tunc persecutio in Viennensi vrbe ferueret. Legebat enim Dominum praedixisse, Si vos persecuti fuerint in ista ciuitate, fugite in aliam. Contulit ergo se hic in Aruerni territorio, non metu mortis, sed ut relinqueris propria, facilius perueniret ad palmam. metuebat enim, ne ei parates essent obuii, si inter eos hoc certamen iniuisset: & perderet miles Christi coronam gloriae, si legitime non certasset. Igitur instante persecutione, ad Briuatensem vicum, in quo fanatici erroris nenia colebatur, aduenit. Et cum insequi aduersarios nutu Dei sensisset, à vidua quadam se occultari deprecatur. Quem illa tegens, ilico martyre poscente detexit: qui suis insecutoribus ita dixit: Nolo diutius commorari in hoc seculo, quia sitio tota animi auiditate iam Christum.

At illi educta vibranti dextera framea, deciso capite, in tres (vt ita dicam) partes gloriosus diuiditur martyr. Nam caput Viennae defertur, artus Briuate reconduntur, felix anima à Christo conditore suscipitur. Senes quoque, qui sacrum corpus mancipauerant sepulturae, ita reintegrati sunt, vt in senectute summa positi, tanquam iuuenes haberentur. Caput quoque eius Ferreolus martyr accepit: completoque certamine, tam illius membra, quam istius caput, in vnus tumuli receptaculo collocantur. Quae ne cuiquam fortassis videatur incredibilis esse narratio, quae audiui gesta, fideliter prodam.

Cap. 2. De reuelatione capitis eius.

Nicetius
Episcopus
Lugdunen-
sis.

Quodam tempore, dum ad occursum beati Nicetij antistitis, vsque Lugdunum processissem, libuit animo non aliter, nisi orationis causa, Viennam adire, & praecipue sepulcrum visitare Ferreoli martyris gloriosi. Infederat enim menti, propter antiquam dilectionem eorum, me sic esse eius alumnum, vt Iuliani. Denique oratione facta, erigo oculorum aciem ad tribunal, conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos

Heroas Christi geminos hac continet aula:

Iulianum capite, corpore Ferreolum.

Cumque hac legens, adituum consularem, cur hac scripta sic fuerint, respondit: Basilica sancti martyris Ferreoli super ipsum Rhodani litus ab antiquis fuerat collocata,

ēata. Deniquē cū impulsante violentia amnis, porticus, quā ab ea parte erat locata, corrueret, prouidus sacerdos, Mamertus nomine, qui tunc Viennensem regebat ecclesiam, ruinam futuram praeniciens, aliam basilicā eleganti opere & in ipsa mensura sagaci intentione construxit, illuc sancti martyris transferre cupiens corpus. Aduenit autem ad hoc opus Abbatum atque Monachorum magnus numerus, vigilataque nocte, accepto sarculo fodere cōeperunt. Cumque in profundo descenderēt, tria sepulcra reperiunt, ac confestim stupor mentes spectantium inuadit. Nec quisquam erat certus, quisnam esset beati martyris tumulus. Igitur cū starent omnes in hebetate mentis attoniti, inspirante (ut credo) diuinitate, vnus ex circumstantibus exclamat, dicens: Antiquitus referri solitum erat, & celebri per populos sermone vulgatum, caput Iuliani Confessoris in sepulcro retineri martyris Ferreoli. Sic oportorio amoto, vnusquisque consideretur, & sic potest, quā sint membra Ferreoli martyris, protinus inueniri.

Mamertus
Episcopus
Viennensis

Hac audiens sacerdos, cunctos iubet in oratione prosterni. Qua impleta, procedit ad tumulos: detectisque duobus, singulos in his quiescentes inuenit viros. Cumque aperuisset & tertium, inuenit in eo virum iacentem illaeso corpore, integro vestimento: qui deciso capite, caput amplexus aliud, brachio detinebat. Erat enim acsi nuper sepultus, neque pallore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neque vlla putredine resolutus: sed ita integer & illaesus, ut putares eum adhuc sopore corpore detineri. Tunc antistes gaudium magno repletus, ait: Hoc esse cadaver Ferreoli, hoc est caput Iuliani martyris, dubium non habetur. Tunc cum magno psalterio plaudente populo, in loco, vbi nunc est, adoratur Domino annuente.

Corpus S.
Ferreoli in
regnum re-
peritur cū
capite S. Iu-
liani.

Hac autem ut ad sepulcrum martyris ab ipso edito cognoui, fideliter retuli. Praebet tamen huic operi testimonium Sollius noster, ipsi Mamerto scribens his verbis: Tibi soli concessa est in parte orbis occidui, martyris Ferreoli solida translatio, adiecto nostri capite Iuliani, Vnde pro compensatione deposcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinij, quia vobis hinc redijt pars patroni.

Cap. 3. De virtute fontis, vbi caput eius ablutum est.

In loco autem illo, quo beatus martyr est percussus, fons habetur splendidus, lenis, dulcibus aquis vberissimus, in quo & a persecutoribus caput amputatum ablutum est, de quibus aquis multae sanitates tribuuntur infirmis. Nam saepe caecorum oculi, ab his tacti, illuminati sunt: tertianarum quartanarumque febrium ardoribus accessi, ut potatum, qui patiuntur, iuerint, conquiescunt. Nam & si quis graui laborans incommodo, inspirante martyre desiderium habuerit hauriendi, protinus ut hauserit, conualescit: & ita velociter extinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogam proiectis vndis incendia vniuersa restingui.

Nota vim
aquarum,
quibus ab-
lutum est
caput S. Iu-
liani.

Cap. 4. De senibus, & matrona, cuius vir tenebatur captiuus.

Post passionem vero beati martyris ac fama praecunte de senibus, qui, dum sanctos artus sepulturae mandarent, fortitudini pristinae fuerint restituti, multa ibi beneficia experientes credentesque, indulgente martyre, consequuntur. De quibus pauca perstringenti deprecor veniam condonari, quod me minus vel peritum, vel idoneum ad haec narranda cognosco, nec imbutum grammaticis artibus, nec literis liberalibus eruditum. Sed quid facio, quod impellit me amor patroni, ut nequeam haec silere?

Multi aegri
pristinam
sanitati
restituuntur
ad eius se-
pulcrum.

Vinctus quidam ab Hispanis & carceri deditus, apud Imperatorem Treueri cum capitali diiudicatus sententia tenebatur. Quod coniunx illius cognitum, dum tumulare viri membra festinat, ad Briuatensem vicum peruenit: repositosque viros, dum diuersa studio intento rimaretur, cognoscit, quod in eo vel de martyre, vel de senibus fuerit gestum, fidelique insinuatione credens, ad sepulcrum beati martyris deliberat properare, ut causam suggerat, casus referet, vel cunctum laborem sui doloris exponat. Asserentibus tamen praetera hominibus: Absque dubio pollicemur, domina, tibi a martyre reddi latitiam, qui senem quondam decrepitaetatis, membra rigentia antiquo vigori restituit. Impletaque hac oratione, promittit, ut si sospitem reciperet coniungem, martyris sepulcrum, in quo possit spatio, camento contegeret. Fide plena, & de martyris pietate secunda, Treuerim est ingressa, inuentumque ob virum, & gratia imperiali receptum, laeta regreditur. Inquisitoque tempore, quo vir relaxatus esset a carcere, nouit quod haec fuit absolutio hora, qua illa martyris est auxilium precata. Dehinc pollicitationem, quam promiserat, cum immensis muneribus adimpleuit.

Captiuus
liberatur.

Cap.

Cap. 5. De eo, qui alium in basilica occidere voluit.

Erat enim haud procul à cellula, quam supra sepulcrum martyris hæc matrona construxerat, grande delubrum, vbi in columnam altissimam simulacrum Martis Mercurijque colebatur. Cumque delubri illius festa à gentilibus agerentur, ac mortui mortuis thura deferrent, medio è vulgo commouentur pueri duo in scandalum: nudo quoque vnus gladio, alterum appetit trucidandum. At ille cernens nihil veniæ re-feruari, cum à dijs suis non defenferetur, nostræ religionis custodiam, nostræ confessionis veniam, nostræ contagionis medelam, cellulam expetijt martyr gloriofi. Tunc ille, qui sequebatur, cum in assultu gladij eum non potuisset contingere, & hic super se ostium *referasset, atque ille arrepto vtroque poste ostium conaretur infringere, ilicò in harentes manus tabulis, dolore nimio quatiuntur, & tanta afflictione miser torquetur, vt vbertim lachryma, qualis esset dolor intrinsecus, nunciarent. Interea stupente vulgo, inclusus qui fuerat, progreditur liber: parentes quoque illius, qui virtute sancti retinebatur, cognoscentes martyris sepulcrum, deuotis multis muneribus pro filio exorabant.

*Referasset, pro, obsecrasset. Liberatur trucidandus virtute s. martyris.

Cap. 6. De conversione incolarum.

Factum est autem dum hæc agerentur, vt presbyter quidam via illa descenderet, Qui cum didicisset quæ acta fuerant, pollicetur parentibus, si à gentilitate discederent, filium reciperent sanum. Ipse quoque sacerdos sequenti nocte videt per somnium simulacra illa, quæ à gentilibus colebantur, numine diuino comminui, atque in puluerem redacta, solo prosterni. Quarta autem die cum gentilitas vellet iterum dijs exhibere libamina, moestus presbyter ad sepulcrum sancti prosternitur, & cum lachrymis exorat, vt tandem gentilitatem hanc, quæ iacebat in tenebris, spendor diuinæ potentia visitaret, nec sineret vltra martyr beatus alumnos proprios ista caligine detineri, cum ille perpetuæ claritatis gaudia possideret. Confestim ad eius orationem commouentur tonitrua, resident fulgura, descendit imber igne mixtus, & grandine turbantur omnia. Concurrit vulgus ad cellulam, prosternitur coram sacerdote omnis cetera gentiliū, & mixto cum lachrymis vlulatu, cuncti Domini misericordiam deprecantur, pollicenturque sacerdoti, si grando recederet, & martyrem patronum expeterent, & ad Deum eius, relicis simulacrorum cultibus, integro corde transirent. Porro ille fusa oratione, cuncta quæ petit, meruit obrinere. Recedente autem tempestate, puer cum parentibus credens, ipsa die à doloribus liberatur: gentiles in Trinitatis nomine baptizati, statuas quas coluerant, confringentes, in lacum vico amniq; proximum proiecerunt. Ab eo enim tempore in loco illo, & fides Catholica & martyris virtus est amplius declarata.

Eccè quantum valeat apud Deū Sanctorum merita, & iustorum orationes.

Multi conuertuntur ad Christū, miraculis perterriti.

Cap. 7. Qualiter Illidius populum ab hostilitate liberauit.

Post hæc venientes quidam de Burgundionibus ad Briuatensem vicum, eum cum armorum multitudine copiosa circumdant: captoque populo, direpto ministerio sacrosancto, vltra amnem transeunt, & viros gladio interficere, reliquum vulgus forte diuidere parant. Tunc Illidius quidam à Vellano veniens, & vt aiunt, commonitione columbæ alitis incitatus, super eos irruit: Hortatusque socios, ita hostes ad interuentionem cecidit, vt captiuus laxatis, triumphans in laudē martyris, amne transmissus, ad beatam cellulam tanquam nouus Moyses cum omni populo canendo reuertetur. Nec minor, vt arbitror, exultatio fuit ereptis, quam quondam Israëlitis, dimersis fuit Aegyptijs. Quod nè quis dubitet hanc beati martyris fuisse victoriam, insinuatio columbæ, aliquod mysterium creditur fuisse virtutis diuinæ. Nam veniente Illidio, hæc ei obuiam venit, & cum, vt ille assolet, aliquid demoraretur, hæc in circuitu illius volitabat: illoque progrediente, ista precedebat, & reuertebatur obuiam, quasi accelerare deprecans iter. Dum hæc agerentur, adueniens puer captiuitatem nunciat, & sic iste viam accelerauit, sed & ipso pugnante, columba semper circa eum visa est discurrere. Quod nè quis inuideat quasi confictum de columba, & homini præstitum Christiano, cum Orosius consulem Romanorum, id est, Marcum Valerium, à coruo alite scribat adiutum.

Nota miri quiddam de columba.

Cap. 8. De interitu eorum, qui ministerium basilicæ abspertauerunt.

Prostratis ergò ab Illidio hostibus, quatuor ex his per fugam lapsi, patenam & vresum, qui anax dicitur, in patriam deferunt: & diuisa in tantis, vt erant, partibus patenam, vt

na, vrceum Regi Gundobaldo ob gratiam exhibent conquirendam. Reliquum vero argentum Regina sagacitas reperit, quod, additis multis muneribus, loco illi sancto restituit, fideliter insinuans Regi, non oportere eum, vt gratiam martyris sancti propter argenti paruitatem amitteret.

Cap. 9. De Feodamia paralytica.

Pro quibus ac talibus virtutum ornamentis magna ibi basilica fabricata à fidelibus, virtutibus, vt præfati sumus, martyris beati refulget: in qua paralyticorum, claudoram, caecorum, & aliorum quoque morborum sæpius petita remedia conquiruntur. Feodamia quædam mulier, paralytis humore conficta, cui nullum corporis membrum sine dolore vigeat, exhibita est, deferentibus propinquis, ad beatam basilicam, vt vel stipem à largientibus mereretur. Quæ dum in porticu illa, que sanctæ basilicæ coniungitur, decubaret, noctem Dominicam dum sacrosanctis vigilijs, populi fides deuota concelebrat, & illa quiescens lectulo paululum obdormisset, à viro quodam per visum correpta atque increpata est, dicente sibi: Cur reliquis, excubias nocturnas Deo exhibentibus, illa deesset? Respondit se ab omni membrorum parte debilem, nec penitus gressum agere posse. Tunc quasi sustentata à viro, qui loquebatur ei, & ad sepulcrum vsq; deducta, dum in sopore fundit orationem, visum est ei quasi multitudinem catenarum ab eius membris solo decidere, à quo etiã sonitu expergefacta, sensit omnium artuum recepisse plenissimam sanitatem. Protinus surrexit à lectulo, & stupentibus cunctis, cum gratiarum actione vociferans, sanctam est ingressa basilicam. Ferunt etiam quidam, solitam fuisse eam referre habitum viri, qui eam fuerat allocutus. Dicebat eum statura esse procèrum, veste nitidum, elegãtia eximium, vultu hilarem: flaua cæsarie, immixtis canis: incessu expeditum, voce liberum, allocutione blandissimum, candorem que cutis illius vltra lilij nitorem fulgere, ita vt de multis millibus hominum, quæ sæpè vidisset, nullum similitè conspiceret. Vnde multis non absurdè videtur, ei beatum martyrem apparuisse. Quæ mulier post decem & octo annos sanata est.

Cap. 10. De eo, qui percussorem suum de basilica conabatur extrahere.

Quidam dum in seditione, quam commouerat, oculum amisisset, hominem, qui istum intulerat, de basilica conabatur extrahere. Quod dum agit, non modò amissi oculi non recipit lumen, verum etiam sensit alium eius, quem sanum habuerat, obcaecari. Porro cum peccata sua confiteretur, dicens, Merito mihi euénit iudicium sine misericordia, qui non feci misericordiam: prostratus coram sancto sepulcro cum populo, qui tunc ad festiuitatè aduenerat, indulgens lædenti, & visum recepit, & gratiam: sicque factum est, vt is, qui sancti auxilium expetièrat, tutaretur: Ille verò, qui non credebat, argueretur. Et sic vterque lætus emendatusque discessit.

Cap. 11. De contracto, qui die Dominica boues iunxit.

Alius quoque ausu temerario die Dominica boues iungens, agrum sulcare cœpit. Appræhensa que securi, vt aliquid emendaret in vomere, protinus contractis digitis, manubrium in dextera eius adhæsit. Cumq; præ dolore nimio cruciaretur, post duos annos veniens ad beati martyris basilicam, vigilias fideliter celebravit. Statimque in ipsa die Dominica referata manus lignum, quod iuuitus tenebat, amisit, magnam inferens populo disciplinam, vt quod die Dominica fuerat perpetratum, ipsa quoque die Dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam martyris, recessit incolumis: nec vltra die resurrectionis Dominicæ quicquam ausus est operari.

Cap. 12. De Anagilo muto, et surdo, ac cæco.

Sic & Anagilus quidam mutus, surdus, & cæcus, omnium membrorum compage debilitatus, ad limina sacrosancta proiectus est, scilicet vt vel ab stipe pasceret de uotorum, qui victus alimoniam proprijs manibus laborare non poterat. Igitur cum per annum integrum ante sanctam adem decubasset, tandem visitatus à virtute beati martyris, ab omni infirmitate sanatus est. Videtur autem mihi non incongruum, vt sicut sancti virtute curata morbida retexuntur, ita & infidelium prauitates oratione illius confutata, ad emendationem aliorum, nè similia appetant, declarentur: quia vtraque sancti gloria præstat, vt & hos sanitati reddat, nè amplius crucientur: & illos arguat, nè in futuro iudicio condemnentur.

Cap.

Cap. 13. *De his, qui Theodorici regis tempore basilicam irruerunt.*

Et licet nullum latere credam aliquid de hostilitate Theodorici Regis, ac infirmitatibus Sigualdi, quæ ei in Aruerno posito cõtigerunt, propter virtutem tamen beati martyris est diligentius exponendum, quo facilius fides dictis adhibeatur. Igitur cum ob direptionem Arueruorũ Rex antedictus festinaret, & ingrediens terminum, vastatione cuncta subigeret, pars aliqua ab exercitu separata, ad Briuatensem vicum infesta prorupit, fama vulgante, quod in basilica essent incolæ cum multis thesauris absconditi. Cumque peruenissent ad locum, inueniunt multitudinem promiscui sexus, obseratis ostijs, in templo ipso cum proprijs facultatibus residere. Cumque intrare non possent, vnus per effractam ceu fur in altari sancto fenestram vitream ingreditur: quia qui non intrat per ianuam, hic latro est. Dehinc referatis adis illius valuis, exercitum intromittit. At illi direpta cuncta pauperum supellectili, cum ministris ipsius basilicæ reliquum populum, qui infra erat, eductum foras, diuiserunt haud procul à vico. Quæ cum ad Regem delata fuissent, compræhensos ex his aliquos diuersis mortibus condemnauit. Fugiens verò ille, qui irrupta ade caput fuit huius sceleris, igne de cælo dilapso consumptus interijt: super quem cum multi aceruum lapidum congregassent, à tonitruis & coruscationibus detectus, terrena caruit sepultura. Qui verò de consentaneis, latentes Regem, in patriam sunt regressi, correpti à dæmone, diuersis exitibus hanc vitam finièrunt. Hæc audiens Rex, omnia, exinde quæ fuerant ablata, reddidit. Præceperat enim, nè in septimo à basilica milliari quis vim inferret.

Iohan. 10.

Punitur
templi
effractor.Item alij
effractores
à dæmone
corripuntur.

Cap. 14. *De Sigualdo peruasore.*

Tunc Sigualdus cum Rege præpotens, cum omni familia sua in Aruernam regionem ex Regis iussu migravit: vbi dum multorum res iniuste cõpeteret, villam quandam, quam gloriosæ memoriæ Tetradius Episcopus Biturigenis basilicæ sancti Iuliani reliquerat, sub specie obumbratæ commutationis auidus peruadit: sed mense tertio, postquam aggressus est, correptus à febre, & sine sensu effectus, declinavit caput ad lectulum. Cuius vxor dum de hoc exitu mœsta pendèret, à quodam sacerdote commonita est, vt cum, si videre vellet incolumem, auferret à villa. At illa hæc audiens, præparatis carrucis, compositoque plaustro, quo eum eueheret, mox vt prædium fuit egressi, prorinùs diuina sunt pariter gratia munerati. Nam iste sospitatem, illa meruit ex huius incolumitate latitiam. Ferunt etiam, in oratorio prædij illius sanctum Iulianum martyrem cum Tetradio Episcopo loquẽtem, cuidam religioso reuelatum fuisse, promittentem se Episcopo villam, quam pro animæ suæ remedio sibi reliquerat, recepturum. Sed & habitum beati martyris in eodem modo esse, vt quondam paralytica exposuerat, referebat.

Tetradius
Episcopus
Biturigen.Pœna occupantis
Ecclesiæ villæ.

Cap. 15. *De pastoris malitia.*

Pastor verò quidam, nõ strenuitate, sed nomine, ingenuus genere, dum in multis rebus contra basilicam sancti martyris iniuste ageret, ad hoc leuitas eius inimico ingrassante conualuit, vt colonias basilicæ concupiscens, quæ agro eius erant proximæ, peruadere non timeret. Ad quem sacerdos loci cum aliquos de clericis quasi legatos mitteret, vt accepta ratione quod malè peruaserat, relaxaret: ille quasi contra iniquum hostem telis correptis profligit, fugatisque sagittis clericis, res omnes in sua dominatione retinuit. Factum est autem, vt in proximo adueniret dies passionis martyris gloriosi. Ad quam ille immemor peruasione suæ atque iniuriæ, quam intulerat clericis, ante quinque dies solennitatis, ad vicum Briuatensem aduenit: qui cum in domo hospitalitatis suæ conuiuio cum latitia & exultatione fungeretur, subito coruscatione facta, tonitrum sonuit: rursumque iterato, iaculo igneo de cælis elapso percussus est, nullo tamen de reliquis pereunte. Deinde ad exemplum omnium, tanquam rogas flammæ ardens, paulatim consumebatur. Ad quod miraculum populus, qui ad beati festam conuenerat, hæc cernens, cum admiratione metuebat: satisque illi fuit, nè de rebus sancti aliquid vltra contingeret. Quod nè fortuito actum quis putet, cernat inter multos innocios vnum interfisse sacrilegum.

Nota hor-
rèdum sup-
plicium res
Ecclesiæ si-
bi vendi-
cantis.

Cap. 16. *De contumacia Beconis Comitis.*

Quid etiam ad Beconis Comitis confutandam superbiam beatus martyr sit operatus, enarrabo. Hic cum actiones ageret publicas, & elatus iactantia, multos contra iustitiam

institiam aggrauaret, casu contigit, vt dimissum accipitrem diu per diuersa vagantem perderet: similiter, vt vnus de seruientibus sancti Iuliani, accipitrem alium, dum per viam ambularet, quasi vagum * inuenit. Erat enim puer ille pincerna in domo basilicæ. Quod cum ad Beconem peruenisset, quod scilicet puer repertum teneret accipitrem, calumniari cœpit ac dicere, Meus ille erat, & hic furto eum sustulit. Deinde succedente auaritia, misit illum vinctum in carcerem, deliberans eum in sequenti, patibulo condemnare. Tunc sacerdos mœtus valdè, ad sepulcrum sancti properat, referatisque cum gemitu * caulis, apprehensis decem aureis, per fideles amicos Beconi obtulit. Quod ille pro nihilo respiciens, cum iuramento asseruit nunquam se puerum dimissurum, nisi exinde aureos triginta acciperet. Quos presbyter desuper sepulcro sancti accipiens, Beconi transmisit. * Quos acceptos satiata auri cupiditate, puerum restaurauit in colorem. Sed Deus omnipotens, qui p̄manet ante solem, secundum bonitatis suæ diuitias humiliavit calumniatorem. Nam ipsius anni transacto curriculo, veniens ad sancti festiuitatem cum cetera satellitum, ingressus est limen sanctum. Procedente verò pastore, qui beata passionis recēseret historiam, vt reuoluit librum, & in principio lectionis sancti Iuliani protulit nomen, confestim Becco voce nescio qua terribili ad terram corruit, cruentaque spumans, dare voces diuersas coepit. Inde inter suorum manus sublatu, à basilica domum reducit. Nec fuit dubium pueris eius, hoc ob iniuriam basilicaris famuli euenisse. Omnem quoque ornatum, & cum super se tunc habuit, tam in auro, quam in vestimentis, basilicæ contulit, & multa deinceps munera misit: sed vsque ad diem obitus sui sine sensu durauit.

Cap. 17. De Diacono, qui oues basilicæ abstulit.

Fuit etiam quidam Diaconus, qui relicta ecclesia, fisco se publicè iunxit: acceptaque à patronis potestate, tanta perpetrabat scelera, vt vix posset à vicinis circūpositis sustineri. Accidit autem, vt saltus montenses, vbi ad cœstiuandum oues abiērant, circumiret, atque pascuaria, quæ fisco debebantur, inquireret. Cumque diuersos spoliaret iniuste, conspiciētinus greges, qui tunc sub nomine martyris tuebantur: ad quos leui cursu euolans, tanquam lupus rapax diripit arietes. Conturbati atque exterriti pastores ouium, dicunt ei: Nè, quæsumus, contingas hos arietes, quia beati martyris Iuliani dominio subiugati sunt. Quibus ille hæc irridens respondisse fertur: Putas ne Iulianus comedit arietes? Dehinc ipsis verberibus affectis, quæ voluit, abstulit, ignorans miser, quod qui de domibus sanctorum aliquid aufert, ipsis sanctis iniuriā facit, ipso sic Domino protestante: Qui vos spernit, me spernit: & qui recipit iustum, mercedem iusti accipiet. Contigit autem, vt post dies multos non religione, sed casu conferente, ad vicum Brinatensem properaret: proiectusque homo ante sepulcrum, mox à febre corripitur, & tanta vi caloris opprimitur, vt neque cōsurgere, neque puerum euocare posset. Famuli verò cum vidissent eum extra solitum plus occumbere, accedentes: Quid tu, inquit, in tanta diurnitate deprimeris? non enim tibi longus mos erat orandi aut deuotio. Ferebant enim de eo, quod quando quidem in ecclesia fuisset ingressus, parump̄ immurmurans, nec capite inclinato, regrediebatur. Tunc interpellantibus pueris cum responsum reddere non valeret, ablatu manibus è loco in cellam, quæ erat proxima, lectulo collocatur. Igitur inualecente febre, proclamat se miserum incendi per martyrem. Et quod primò siluerat, admotis animæ iudicij facibus, crimina confitetur, iactarique super se aquam, voce qua poterat, deprecabatur. Delatis quoque cum vasculo lymphis in eum sapè deiectis, tanquam de fornace ita fumus egrediebatur è corpore. Interea miseri artus, ceu combusti, in nigredinem conuertuntur. Vnde tantus procedebat fœtor, vt vix de adstantibus possent aliqui tolerare. Mox illis recedentibus, hic spiritum exhalauit: de quo haud dubium est, qualem illic teneat locum, qui hinc cum tali discessit iudicio.

Cap. 18. De eo, qui caballum in vigilia sancti Petri furatus est.

Alius autem per vigiliam festiuitatis equum alicuius, qui tunc fortè ad eandem solennitatem venerat, furto comprehendit. Ascensoque, velociter properat, scilicet vt qui lumen perdiderat veritatis, non inueniretur à luce: & cuius pectus cupiditatis tenebræ obsederant, eius & furtiuam fraudulentiam nox celaret. De talibus enim Dominus dicebat in Euangelio: Omnis qui malè agit, odit lucem. Albescente igitur celo, dicebat: Iam securus sum. Nam triginta leucas à sancti basilicæ elongatus sum:

Nnnn

iama

causis

Vide diuina animaduersionem in iniquum Comitem.

Qui de domibus sanctorum aliquid aufert ipsis sanctis facit iniuriam. Luc. 10. Matth. 10.

Horredum Dei iudicij in Diaconum, res S. Iuliani auferentem.

iam secus propriam domum esse me credo. Dum hæc tacitus reuolueret intrâ se, demotis ex axe tenebris, cognoscit seipsum vico propinquum inter populos deuagari: timensque nè scelus suum patefieret publico, cum cautela grandi caballum in loco, vndè digressus fuerat, reformauit. Sic miser virtute martyris tota nocte detentus in circuitu vici, & vt ego credo, ab authore, qui eum obsederat, est delusus, vt viâ, quam apprehendere voluit, non valeret. O scelerata cupiditas, quid agis? Semper amatores tuos in confusionem præcipitas.

Fur equum non potest abducere.

Cap. 19. De eo, qui propter trientem peierauit.

Quidam alteri trientem præstiterat, quem interpositis paucis diebus recepit. Post annum verò in atrio sancti conuentum hominem, rem suam quasi non recepisset, sibi reddi deposcebat. At ille detestans, assererat se reddidisse susceptum. Cumque diutissimè altercarentur, ille qui reddiderat, ait ad focium: Vsq̄uequò vterque contendimus? sub iudicio hoc omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum martyris, & quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat virtus sancta patroni. At ille nec dubitans, ingressusque sepulcrum, dum audacter eleuat virtus sancta patroni. At ille nec miser irriguit. Hæret vox in gutture, lingua coarctatur in fauce, vibrant labia vacua à sermone: ipsa quoque brachia, quæ ad adiutorium frustrati sacramenti exererat, prorsus retrahere non valebat. Ad hæc vulgo admirante, publicato scelere, multitudo cuncta populi vna voce prorumpens, Domini misericordiam ac beati martyris auxilium deprecatur. Post quatuor verò aut eo amplius horas, ad sensum regressus, quod iniuste repetebat, publica confessione patefecit, & sic sanus abscellit.

Nota pœnã ad sepulcrum martyris peierare volentis.

Cap. 20. De eo, qui basilicam sanctam furto spoliavit.

Sæpè hæc ille audierat, qui basilicæ sanctæ violentiam intulit: sed iniquam mentem semel obsessam vitio, bonitas mollire non potuit, Salomone obtestante, in maleuolam animam non ingreditur sapientia. Aduenerat festiuitas, & ecce quidam è populo, conspicatur ornamentis immensis beatam basilicam effulgere. Concupiscit iniqua mente, quod adipiscens, non poterat occultare. Igitur discedente populo à basilica post gratiam vespertinam, hic se in angulo basilicæ reprimens, latitauit: ac dato cunctis nocturnæ quietis silentio, operienteque vmbrosa caligine mundum, confugit ab angulo, & nihil dubitans, utique qui à satellite satana impellebatur, super cancellum beati sepulcri cursu profilit rapido: detractamque à summo vnam gemmis coruscantibus Crucem, ad terram deiecit: collectisque velulis ac palliis, de circuitu parietum pendentibus, vnum voluculum facit: impositoque humeris, ac eleuata Cruce manu, ad locum, vndè discesserat, repetit: ac postea capiti sarcina peccati, sopore compressus obdormiuit. Media verò nocte, circumeuntes custodes sanctam basilicam, adspiciunt in angulo vnam gemmam Crucis, tanquam iubar caeleste, refulgere: obstupescit, accedunt cominus cum timore, admotoque cereo, inueniunt personam rebus furatis, quas auferre non potuerat, inibi decubare. Denique sub custodia illa nocte detentus, manè facto, cuncta, quæ fecerat, patefecit, asserens se lassum obdormisse, eò quod diutissimè circuiens cum fasce basilicam, ostium vndè egrederetur, reperire non poterat.

Sap. Ecce etiam antiquitus egregie ornatas ecclesias.

Sacrilegus proditur.

Cap. 21. De eo, qui caballum in festiuitate perdidit.

Multa quidem & alia in præuaricatoribus ostendit, sed satis sunt ista ad coercendam desidiã eorum. Nunc verò ad gaudia prosperitatum, quæ larga pietate præstat populis, reuertamur. Sed prius illud non arbitror postponendum, quod expertum valde cognouimus, quid in rebus perditis apud hunc patronum fidelis deprecatio consequatur, ex quibus vnum tantum commemorare studui. Ad festiuitatem beati martyris deuotus pauper aduenerat, laxatoque equo, sacrâ ingressus est adem, ac vigilis immobilis instans, noctem cum cæteris orando deduxit. Illucescente verò cælo, ad meratum regressus, caballum, quem reliquerat, non inuenit: quæsitoque diutissimè, nec signa quidem, in quam partem discessisset, agnouit. Transacto igitur biduo, recurrit iterum per saltus, perserutans à locorum in colis, si fortè aliquis aut teneret captum aut capi vidisset ab aliquo. Nullum dehinc indicij genus reperiens, anxius atque mœstus, ad sepulcrum sancti regreditur: ibique causas doloris ac mœroris exponens, aiebat: Ad tuâ sancte limina veni, nihil aliud, quam paruitatis meæ vota deferre: nihil iniuste abstuli, nihil gessi indignum tua solennitate. Cum, inquam, perdidisti rem meam, rogo, vt restituas amissum, vt necessarium reddas. Hæc dicto

Nota de mentia eorum, qui perant sanctos ignorare res nostras.

Sancti, patroni nostri sunt.

dito loquens, ut egressus est templum, conspiciat eminens à quodam viro suum equum retineri. Ad quem accedens, quatit vnde sit, aut vnde venerit, aut ex quo tempore hunc habeat equum: didicitque ipsa hora cum fuisse repertum, qua ille beati martyris imploravit auxilium.

Cap. 22. De caeco illuminato.

Cum autem quidam ab eo loco per incursum diabolicum, oculum perdidisset, & ad hospitium suum viduatus lumine infeliciter resideret, ac manibus proprijs nihil laborare praevalens, spem alimoniae non haberet, apparuit ei vir in visu noctis, commonens ut ad basilicam ambularet: ibique si deuote preces suggerat, promittit auxilium inueniri. At ille nil moratus, arrepto bacillo, ad miniculante puero, sanctum ingressus est locum. Qui post completam orationem Archipresbyterum, qui tunc locum ipsum regebat, nomine Publicianum adiuit, supplicans, ut oculis caecis Christi crucem imponeret. erat enim valde religiosus. Quod ille dum iactantiam euadere cupit, cuitans, tenetur à caeco, nec omnino dimittitur, nisi quae petebat, adimpleret. Tunc ille prostratus ante sepulcrum, diutissime martyris est suffragium imprecatus. Deinde admota oculis caeci manu, protinus ut signum Crucis imposuit, visum iste recepit. Admiramini, queso, virtutem martyris, cui cum parum sit per se exercere miracula, nunc etiam per manus discipulorum, ad stipulante virtutis suae fauore, publice operatur: sed nec meritum discipuli fuit exiguum, cui haec praestita esse cernuntur.

Signo Crucis caecus illuminatur.

Cap. 23. De pede Galli, postmodum Episcopi, sanato.

Erat tunc temporis apud urbem Aruernam patruus meus, Gallus Episcopus, de quo non videtur omitti, qualiter in adolefcentia sua fuerit à sancti virtute adiutus. Et saepius commemoravi, quale excidium Aruernae regioni Rex Theodoricus intulerit, cum neque maioribus, neque minoribus natu aliquid de rebus proprijs sit relictum, praeter terram vacuum, quam secum barbari ferre non poterant. His temporibus gloriosae memoriae patruus meus, qui postea, ut dixi, sacerdotali fasce Aruernam rexit ecclesiam, pupillus erat: cuius facultates ita direpta sunt ab exercitu, ut nihil prorsus remaneret in promptu. Ipse quoque cum vno tantum puerulo usque ad Briuatensem vicum plerumque itinere pedestri discurrebat. Accidit autem quodam tempore, dum hoc iter teneret, ut laxatis praecalore Solis calceamentis, nuda incedens planta, sudem calcaret spineam, quae tunc fortassis incisa, adhuc terrae haerens erecto acumine inter herbas virides latitabat. Quae defixa plantae, & supergressa effraetaque, deorsum extrahi nequibat. Igitur defluente sanguinis riuo, cum gressum facere non valeret, beati martyris implorat auxilium: paululumque dolore compresso, licet claudicando, iter quod ceperat, expediuit. Tertia vero nocte computrescente vulnere, dolor maximus incitatur. Ille vero ad experta dudum praesidia confugiens, sepulcro glorioso prosternitur: expletisque vigilijs, regressus ad lectulum, dum virtutem martyris praestolatur, somno incumbente deprimitur. Deinde consurgens, nullam doloris sentit iniuriam: adspectaque planta, pars sudis, quae ingressa fuerat, non videtur: euulsam tamen sentiebat à pede. Quod lignum diligenter inquirens, in stratu suo reperit, admirans qualiter fuisset egressum. Solitus namque erat in Episcopatu suo locum vulneris ostendere, in quo magna adhuc fossa conspiciebatur, obtestans in hoc beati martyris fuisse virtutem.

Gallus Aruernorum Episcopus.

Pede laesum sanat sancti martyr.

Cap. 24. De febre Petri fratris eius.

Post multum vero tempus aduenerat festiuitas beati martyris, & pater meus cum omni domo sua ad huius festiuitatis gaudia properabat. Nobis vero iter agentibus, Petrus frater meus senior ab ardore febrili occupatur, & tam grauius agit, ut neque vigere, neque cibum sumere posset: totumque illud iter cum grandi agit morore, & in discrimine res vertitur, utrum conualescat, an pereat. Denique cum isto labore peruenitur ad locum: ingredimur basilicam, adoramus sacrosancti martyris sepulturam. Prostratur & agrotus in pavimento, deprecans medelam à martyre glorioso. post completam vero orationem ad metatum egressus, febris paululum conqueuit. Veniente autem nocte, nobis ad vigilias properantibus, rogat se & ille deferi, incumbensque ante sepulcrum, tota nocte martyris suffragium deprecatur. Exactis deinde nocturnis excubijs, rogat ut de puluere, qui circa beatum erat tumulum, collecto vel potui dareat, vel collo suspenderent. Quo facto, ita omnis ardor febrili conqueuit, ut ipsa die & cibum caperet incolumis, & ubi delectatio vertisset animum, ambularet.

Festiuitas beati Iuliani.

Nota de puluere tumuli miraculum.

Cap. 25. De mei capitis dolore.

Sequenti verò festiuitate, dum iterum cum magno gaudio ad sanctam properamus basilicam, mihi caput à sole percussum, grauiter dolere coepit. Qui dolor accrescens, febrem intrinsecus generabat, ita vt nec cibum me capere, nec loqui permitteret. Cumque per duos dies ab hoc dolore consumerer, die tertia ad basilicam sancti Ferreoli, cui fons ille, de quo superius meminimus, est contiguus, aduenimus. Distat autem basilica à Briuatensi vico quasi stadijs decem. Cumque in locum illum venissemus, libuit animo ad fontem vsque procedere, confidens de virtute martyris, si me exinde leuis vnda perfunderet, mox sanarer. Adueniens verò, oratione fundo, aquam haurio, ob refrigerium caput infundo: statimque de cedentibus lymphis, fugato dolore, sanus abscedo, & vsque ad sepulcrum martyris gloriosi latus ingredior, admirans & gratias agens martyri, quod prius me virtute sua dignatus fuerit visitare, quam ipsius mereret cernere sepulcrum.

Dolor capitis sanatur aqua fontis martyris Dei.

Cap. 26. De febricitante, ad fontem sanato.

Est enim ad hunc fontem, quia ibidem martyr percussus est, virtus eximia. Quidam à febre correptus, dum in extremis ageret, desiderium habuit de aqua fontis haurire. Ad quam etiam se deportari fideliter exorauit. Quem sui inter manus apprehensum, & in loco depositum, protinus vt aquae hauitum accepit, & faciem caputque, perfudit, recipere meruit sanitatem, & aliorum manibus illatus, proprijs gressibus est regressus. Fuit autem incola huius vici, sed excidit nomen eius.

Nota de fonte aliud miraculum

Cap. 27. De tonitruo in basilica facto coruscatione

Quadam autem die orta tempestas cum magno venti impetu, super vicum Briuatensem rapidè descendebat. micabant enim de nubibus fulgura, ac tonitrua terribiliter voces dabat, quatitur terra fragore, & exuri à coruscatione penè omnia putabantur. sola erat expectatio in virtute martyris gloriosi. Nec mora, dato cum fulgore graui sono tonitruum, iaculum igneum per aditum, quo funis ille signi dependet, ingreditur: percussisque, duabus columnis, frustra excussit. Inde repercussus, per fenestram, quae super sanctum habetur tumultum, est egressum, nullo tamen per beati custodiam de populo laeso. O quam magnus circa alumnos proprios beati martyris affectus: columnas sinit percuti, non phalanges. Confringi passus est vitream, non ceteruam. Permisit super sepulcrum proprium praeterire coruscum, ne fieret multitudinis totius interitus. Igitur expulsum à basilica sancti martyris iaculum, acerum foeni combussit, interfecit pecora, iumenta deleuit. Quod si haec fortuitum quis aduenisse putat, admittetur magis & stupeat in clyti potentiam martyris, quod praeteriens ignis per mediū populi, nemini nocuit: sed ibi tantum expleuit vota, vbi se cognouit habere licentiam.

Stupeat in clyti potentiam martyris.

Cap. 28. De eo, qui pra multitudine populi ac sepulcrum non valebat accedere.

Clericus autem Aredij Lemouicini Abbatis, ad festiuitatem veniens, pra multitudine populi non solum ad sanctum tumultum accedere, verum etiam nec in ipsam basilicam potuit introire. Cumque moestum metu se reddidisset, recubans in lectulo, obdormiuit. Protinus adstitit ei vir in visu, dicens: Quid tu sopore deprimeris? vade celerius ad templum martyris, & omnia inuenies reserata. At ille metu territus, exurgens credulus dictioni, properat velociter experiri, si vera essent, quae sibi fuerat indicata. Cumque venisset ad ostium, reperit remotos vndique populos vsque, ad sanctum altare, vel ipsum tumultum, via facta nullo obistente. Et sic sine vlla impressione accedens, susa oratione, cum gaudio est regressus. Quod ne quis dubitet, testor omnipotentem Deum, quia ab ipsius Abbatis haec ore cognoui, apud cuius monachum gesta sunt.

Visio clerci & monachi.

Cap. 29. De festiuitate eius.

Huius festiuitatis tempus ignorans plebs, moesta pendebat, nesciens diem, in quo martyr beatus deberet pro virtutis ac passionis gloria honorari. Et haec ignorantia vsque ad beatum Germanum Antisiodorensis antistitem est protracta. Factum est autem, vt antedictus Pontifex Briuate adueniret: sciscitatusque ab incolis, quo tempore huius sacra celebrarentur, se nescire respondent. Tunc ille: Oremus, inquit & fortassis nobis haec Domini potentia reuelabit. Quod cum fecissent, manè orto, conuocatis senioribus loci ait, quinto Kalendas mensis septimi celebrandam esse solennitatem. Ex hoc nunc deuotus adueniens populus, vota praefuli reddens, refert & animae & corporis medicinam.

Nota antiquam deuotionem.

Diuinitus reuelatur dies solennitatis S. Iuliani

Cap.

Cap. 30. De energumenis.

Energumeni verò cum aduenerint, plerumque euomunt in sanctum Dei contuicia, cur sanctos alios ad sua conuocet festa, ipsosque nominatim confitentes, eorum fatentur virtutes & merita. Aiunt enim: Sufficiat tibi Iuliane, nos propria virtute torquere. Ut quid reliquos prouocas? Quid inuitas extraneos? Ecce Martinum Pannonium, inimicum iugiter nostrum, qui tres à nostris cauernis repulit mortuos. Adest Priuatus ex Gabalis, qui oves suas barbaris, nostra instigatione commotis, tradere noluit. Aduenit Ferreolus collega tuus ex Viennensibus, qui nobis in te supplicium, incolis praesidium misit. Quid Symphorianum Heduum? Quid Saturninum vocas Tolosanum? Aggregasti concilium, ut nobis ingeras infernale tormētum. Hac & his similia dicentes, ita sanctos Dei humanis mentibus representant, ut nulli sit dubium, eos inibi commorari: multi tamen ab his infirmi curantur, & sani recedunt.

Vide demonum confessionem.

Cap. 31. De mansuetudine pecorum.

Sed & illud est memoratu dignissimum, quæ sit mansuetudo pecorum, in hac basilica votiuorum, qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunientes suillæ, cum limen sanctum ingressi fuerint, conquiescunt. Nam vidimus sæpe cothurnosos tauros, qui à quindecim aut eo amplius viris alligati funibus ducebantur, talem in hominibus impetum dare, ut putares eos ipsos quoque dirumpere funes. Sed cum ad eam sanctam ingressi sunt, ita quieuerunt, ut arbitreris eos tanquam agnos mansuetos haberi. Vidimus etiam per medias turmas multos ingredi inclinato capite, populos amouentes rostro, non cornibus, & tanquam tribunal adirent iudicis, aliquem sensum habere timoris, non calcem mittere, non aliquem cornu petere, non oculis tortis adspicere, sed in omni mansuetudine usque ad sanctum properantes osculantesque altare, rursus in ipsa, qua ingressi fuerant, patientia repedare. Sic & reliquorum iumentorum petulantia cum illuc accesserit, deposito cuncto furore, mansuescit, ut eam mansuetudinem columbarum cum grandi admiratione conspicias. De his verò, quæ votiua sunt, nulli penitus quippiam subtrahere licet: nullus, priusquam ad basilicam veniat, aut commutare praesumit, aut emere. Nam qui fecerint, sæpius ultione diuina grauius quatuntur. Nam aut febris imminet, aut malum aliquod obrépit, aut damnū graue succedit, aut hoc, quod abstulit, morbus aufert. Difficile tamen sine praesenti ultione res praeterit.

Immanissima bestia in eade S. Iuliani mansuescit.

Nota de votiuo iumentis.

Cap. 32. De reliquijs eius in Campaniam translatis.

De illis dixisse virtutibus sufficiat, quæ circa sanctam basilicam eius gesta sunt aut geruntur: nunc pauca de locis illis, in quibus habentur reliquiæ, differentes, finem huius libelli facere placet. Deuotione commouente, quidam apud Belgicæ secundæ provinciam, id est, suburbano Rhemensis vrbis, basilicam in honore beati martyris studiosè construxit, cuius reliquijs post perfectam fabricam expetiijt fideliter ac deuotè. Quas acceptas dum viatim psallendo regreditur, Rhemensem est ingressus Campaniam. Erat enim haud procul à via ager cuiusdam diuitis Campanensis, ad quem scindendum magna multitudo conuenerat. Igitur appropinquante viatore cum his pignoribus, cepit quidam de aratoribus malè torqueri, & quasi in excessu mentis dicere: En beatissimū Iulianum appropinquantem, Ecce virtutem eius, Ecce gloriam eius: occurrite viri, relinquire boues, dimittite aratra, caterua omnis eat ei obuiam. Stupentes illi, & quid narraret ignari, dum hebetati admirantur tam voces, quam dicta personæ, protinus miser relicto aruis vomere, elidens se in terram, verberansque palmas, in partem qua vir ille beati martyris ferens reliquijs, veniebat, cursu celeri rapitur, clamans: Ut quid me sancte sic crucias? Ut quid me gloriose martyr incedis? Cur regionē tibi non debitam aggredieris? cur habitacula nostra perlustras? Talia eo dicente, ad locum vbi iam sacerdos tabernaculum crexerat, turbulentus aduenit: prostratusque coram sanctis reliquijs, diutissimè humo incubuit. Tunc presbyter capsulam illam sanctam super eum ut posuit, illic erumpente ex ore eius sanguine, ab incurfione diabolici erroris mundatus est: ac deinceps virtutem sancti praedicans, comes fuit huius itineris.

Quidam Belgicus basilicam in honorem martyris constituit.

Cruciat demones reliquijs sanctorum.

Cap. 33. De reliquijs eius in oriente exhibitis.

Quid de eius reliquijs in Oriente fidelium fratrum relatio signat, edicam. In quadam Orientis ciuitate, dum in ecclesia à demonio quidam torqueretur, in nauis beati martyris praedixit esse reliquijs. Cumque nauis portum fuisset adepta, hic ad eam sal-

Vide reuerentiam erga sacras reliquijs.

Vide reu-
erentiam erga
facias reli-
quias.

Mira vis
pulueris.

Alia extrui-
tur sancto
Dei basilica

tuatim profiliit: ac prouolutus solo coram nani, erumpente ab ore & naribus tabe, persona purgata est. Quæ cum Episcopo nunciata fuissent, commouit populum cum accensis cereis ad portum vsque procedere. Igitur nauclerus audiens, flensque præ gaudio, in occursum Episcopi properat, nihil se aliud asserens de beati sustulisse basilica, nisi parumpèr pulueris, qui circa sanctum iacebat tumulum: sed Deus omnipotens comprobans fidem viri, occultari virtutem martyris non permisit. Dehinc Episcopus sublatis reliquiis vsque ad sanctam ecclesiam cum magno honore deportat. Negociator verò tanta cernens mirabilia, basilicam in honore martyris edificauit. In qua beatas reliquias collocans, multa deinceps miracula vidit operari.

Cap. 34. *Qualiter Turonis in basilica eius reliquie sunt locatæ.*

Basilica S.
Iuliani.

Sacrofan-
ctæ reliquie
purgant de-
moniacum.

Hæc ego dudum expertus sum. Contigit vt post ordinationem meam Aruernos accederem: profectusque, beati basilicam adiui: expletaque festiuitate, disruptis à palla, quæ sanctum tegit tumulum, simbrijs, in his mihi prædium credens, impleta oratione discessi. Apud Turonicam verò urbem monachi in honore ipsius basilicam, qualem possibilitas eorum habuit, edificauerunt, cupientes eam eius virtutibus consecrari. Audientes autem hæc pignora à me fuisse delata, rogant, vt dedicata ædes iisdem augetur reliquijs. At ego appræhensa secretiùs capsula, ad basilicam beati Martini incipiente nocte propero. Referebat autem mihi vir fidelis, qui tunc eminens adstabat, cum nos basilicam sumus ingressi, vidisse se pharum immensi luminis è celo delapsam, super beatam basilicam descendisse, & deinceps quasi intrò ingressa fuisset. Cum enim nobis hæc in crastinum à fidelibus relata fuissent, cõiecimur eam à virtute beati martyris processisse. Depositis ergò super altarium sacrosanctis reliquijs, vigilata nocte cum grandi psalterio, ad antedictam deferebantur basilicam. Et ecce vnus ex energumenis, manibus in se collisis, ore patulo cruenta projiciens sputa, aiebat: Vt quid te Martine Iuliano iunxisti? Quid eum in his prouocas locis? dum nobis erat præsentia tua supplicium, similè tuè ad augenda tormenta vocasti. cur hæc agis? Quarè nos cum Iuliano sic crucias? Hæc & alia misero declamante, expletis Missarum solennitatibus, dum se ante sanctum altarium diutissimè collidit, profluente sanie ex ore eius, ab infestatione furoris diabolici liberatus est.

Cap. 35. *Quòd vinum ea nocte accreuit.*

Vini diu-
nitus excre-
scit in vase.

Falernum, à
regione Fa-
lerna vinu
optimum.

Sed nec hoc silendum puto, quòd in nocte illa, priusquam sanctæ reliquie ibidem collocarentur, sit gestum. Monachus ipsius loci dum de aduentu solennitatis gauderet, & singulos quosque ad cellariolum basilicæ promptissimus inuicaret, hortans vt omnes in basilica fideliter vigilarent, extracto à vase vino, cœpit eis causa deuotionis, eum gaudio propinare, dicens: Magnum nobis patrociniùm in beatum martyrem pietas diuina largitur. Idcirco rogo charitatè vestram, vt vnanimiter vigiletis mecum. Cràs enim eius reliquie in hoc loco sunt collocandæ. Exacta quoque cum sacris hymnis modulisque cælestibus nocte, celebratis etiam Missarum solennijs, festiuitate ouans clericus, cœpit eos iterum, quos priùs inuitauerat, rogare ad refecionem, dicens: Gratias vobis ago, quòd sic ad vigilandum immobiles perstitistis. Sed nec martyr diù distulit bonam voluntatem, virtutis suæ gratia munerari. Nam ingressus promptuarium clericus, reperit cupellam, quam penè mediam reliquerat, per superiore aditum redundare intantum, vt copia defluentis vini, riuu per terram ad ostium vsque duceret. Quod ille admirans, posito deorsum vase, sæpiùs extulit plenum: sed & de ipso, cum satis abundeque fuisset expensum, nihil prorsus defuit, sed vsque in crastinum, mirantibus cunctis, semper stetit plenum. Erat autem tertio Kalendas mensis quinti. O admirabilis virtus martyris, cum produxit de vase sine flore vindemiam, cum sit solitum, vt collecta vina condantur in vascula, protulit dolium musta, in quo non vina, sed virtus sola defluxit: turgescit vasculum à liquore, quò fructus non illatus est, sed creatus. Agit hoc ille Dominus ad glorificandum martyrem, qui implens vterum virginis sine femine, permanere præstitit matrem in castitate. Sed tamen hic nouo magis exuberat fructu, cum sine codicibus falerna porrigit. In alijs vineis, vix adhuc erumpunt gemmæ: in hoc verò vase vinum defluit à virtute: æquatur Maius Octobri, cum noua porrigit pocula: plus habet quàm ille, cum in promptu non ostenditur vinea, & in domo gignuntur falerna. Rudis etenim venit sine torculari vindemia, quæ non in palmitibus, sed in occultis est reperta: acernus acinorum non premitur ab arbore, & vini defluunt vndæ: hauriuntur falerna, cum in torculari non cernun-

cernuntur impressa: vitis eccè non adspicitur, & pocula largè complentur. Sed quid inquam? non enim deest fidelibus virtus illa cælestis. Nam qui quondam in nuptijs de aquis præstitit vina, nunc suis eadem largè porrigit sine vllius elementi natura: & qui geminis piscibus quinque millia hominum satiauit, nunc bonæ voluntati multiplicata restituit. In ipsius enim ortûs tempore Angelica vox testata est, dicens: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sed iam ad sequentia virtutum opera reuertamur.

Cap. 36. De contracto, in eodem loco sanato.

Seruens huius monasterij diù contractus, infeliciter trahebatur. Adueniens autem ad ipsam sanctam basilicam, vigiliis celebrat: quibus expletis, manè, dum ad stratum suum regreditur, inter portantium manus resolutis sanatus est neruis.

Contractus sanatur.

Cap. 37. De puella cæca illuminata.

Puella quædam lippis erat oculis, & nimio imbre lachrymarum profluente, penè cæcata: cuius pater audita virtute martyris gloriosi, cum ea ad basilicam sanctam properat, celebratisque vigilijs, manè pauperibus, qui ad matriculam illam erant, cibum potumque protulit. Epulantibus verò illis, subito puella capitis dolore se torqueri proclamat, & vt modicum sopori indulgeatur, implorat. Qua quiescente, cum conuiuæ epulum applicarent, illa surrexit, & ad sanctum se altare duci deposcit. Ante quod cum solo prostrata fuisset, & attentè Domini misericordiam deprecaretur, restitit lachrymis, purgatis lippitudine oculis, lata surrexit. Tunc patre gaudente, domi redditur sana.

Item lippis oculi puellæ

Cap. 38. De alio contracto.

Alius quidam puerulus paruulus, cuius parètes haud procul ab ipsa basilica commanebant, in secundo ortûs sui anno membris totis cōtractus, sine spe alicuius boni nutriebatur. qui ita cōtractus erat, vt genua ab eius ore penitus separari non possent. At cum ad sancti basilicam parètes eius vigilassent, & proiecium infantulum coram sacrosanctis reliquijs dimississent, post paululum reperiunt eum sedentem, ac membris omnibus esse directum. Dehinc fusa oratione, gaudentes ad domum suam regressi sunt.

Item puer quidam cōtractus.

Cap. 39. De periuris.

Est autem in Turonico vicus, cui Gaudiacum nomen est, in quo beati martyris reliquiæ continentur. Qui cum magnis virtutibus crebrò illustretur, in periuros tamen plerunq; agitât vltionem. Nam cum ibidem quis, inimico humani generis suadente, periurauerit, ita vltio diuina prosequitur, vt protinus aut in successione damni, aut in amissione proximi, aut in cōsumptione morbi manifesta patefeat, nec causam remanere inultâ martyr prorsus indulget. Sed nec inibi iam ausu temerario periurat barbarorum cruda rusticitas. De quo negotio ista sufficiât, quia longum est, singula, quæ de his acta sunt, per ordinem memorare.

Produntur diuina vltione periuri.

Cap. 40. De reliquijs eius, quas Aredius presbyter sustulit.

Cum autem ad me Aredius presbyter ex Lemouicino venisset, vir valdè religiosus, cuius etiam in secundo virtutum beati Martini libro memini, dum sollicitè vitam eius perscrutarer, actionem inquirere cœpi, quæ ibidem beatissimus Iulianus in miraculis prodidisset. In honorem enim beati martyris basilicam ædificauit, quam & eius reliquijs illustrauit. Sic ergo est verecundissimus, diù cunctatus, tandem hæc & valdè inuitus exposuit. Quando, inquit, primùm beati Iuliani adiuu basilicam, parumper ceræ à sepulcro sustuli, indè veniẽs ad fontem, in quo beati sanguis effusus est, abluta aquis facie, paruam ab his pro benedictione compleui ampullam. Testor omnipotentem Deum, quia antequam ad domum accederem, colore, spissitudine atque odore in balsamum commutata est. Veniens verò sacerdos ad dedicandam ædem, cum hæc exposuissem, nihil aliud pro reliquijs in sanctum altare condere voluit, nisi vasculum, cuius aqua in balsamum commutata fuerat, dicens: Hæc sunt certæ reliquiæ, quas martyr paradisiacis virtutibus illustrauit.

Aredius presbyter in honore S. Iuliani ecclesiam ædificauit & reliquijs ornat.

Insigne miraculum. Ecce consecratione ecclesie cum reliquiarum appositione.

Cap. 41. De paralytico sanato.

Multa quidem & alia sunt, de quibus plurima præmittens, aliqua pando. Infirmitas quidam omnibus membris debilis, plauastro impositus, ad eius monasterium

Paralytici
restitutio.

est aduectus. Qui cum ante ipsam basilicam in hoc vehiculo nocte iaceret, videt eam subito magno splendore fulgentem, vocesque in ea psallentium tanquam multorum hominum audiebat. Dum hæc agerentur, & ille orationem funderet, quasi stupefactus, nec memor dolorum, eo appropinquante, splendor, quem viderat, præterit ante oculos eius. At ille fulgore demoto in se reuersus, sensit se pristinae salutis recuperatum.

Cap. 42. De cæco illuminato.

Item cæci
illuminatio

Cæcus quoque, ad niculod deducens, ad sacrosanctum altare eius accedens, dum de opertorio sanctarum reliquiarum oculos attigit, lumē recepit. Sed & energumini ab hac palla cooperti, sepe mūdati sunt, & potestas iudicum, quotiescunque in eo loco superfluē egit, confusa discessit.

Cap. 43. De Cruce altaris furata.

Sacrilegus
tollere non
potest Cru-
cem.

Pendebat autem super ipsum altare Crux holochrysa, eleganti opere facta, & erat tam præclara visū, ut eam putares ex auro esse mundissimo. Aduenientibus verò Barbaris, à quodam esse aurea æstimata, direpta est, & sinu recondita. At is, qui eam sustulerat, tanto subito pondere prograuatur, ut eam penitus suscinere nō posset: statimque punctus virtute martyris, pœnitentia motus, de itinere transmissam loco sancto restituit.

Cap. 44. Qualiter expetita sunt eius pignora.

Dæmonia-
cus curatur.

Multa mi-
racula.

Quæ postquam gesta sunt, misit clericum suum, dicens: Vade ad beati Iuliani basilicam, & fundens orationem, supplica ut tibi aliquid cereæ vel pulueris de sepulcro iacentis largiri dignentur editui, ut delatum à me cum benedictione suscipiatur. Ille vero veniens, quæ sibi fuerant imperata, flagitat, ac suscepit. Et cum susceptum ferre vellet, tanto grauiatur pondere, ut vix ceruicem posset erigere: Vnde tremore magno concussus, pavimento prosternitur, & iterum cum lachrymis orationem fundens, surrexit incolumis, & acceptam sensit abeundi habere se libertatem. Igitur arrepto itinere, incalcescente nimium sole corripitur. Veniens autem ad villam via proximum, ut eos vidit, in terram corruit, factusque est sicut mortuus. Concurrentes autem cognati eius, calumniabantur hominibus, asserentes confanguineum suum eorum magicis artibus fuisse peremptum. Et apprehensum puerum, eleuauerunt semiuiuum. At ille de manibus eorum elapsus, percussis palmis, cœpit debacchando clamare & dicere, quod martyris Iuliani virtute exureretur. Clericus verò hæc audiens, posita super caput eius capsula cum pignoribus sanctis, fide plenus, orare cœpit attentius. Ipse quoque cum vomitu sanguinem demoniumque proiciens, purgatus abscessit. Dehinc firmatus in fide, portitor iter totum cum psalmis & gratiarum actionibus carpens, ad locum præoptatum, martyre ducente, peruenit. Iam exinde tempore procedente, quanti ibi energumini, frigoretici, vel diuersis morbis oppressi, martyris virtute sanati sunt, nec nomina retineri, nec numerus potuit colligi.

Cap. 45. De puero ad ariolos ducto, & alio per virtutem Sancti sanato.

En quantum
olim sancti
simi viri tri-
buerint
Sanctis.

Inter reliqua verò insignia suscipiendorum miraculorum ponimus & istud, quod insipientes corrigat, & roboret sapientes. Igitur Cautini Episcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi, Aruerna regio ab excidio Iuis, quam inguinariam vocat, deuastabatur, ego Briuatensem vicum expetij, scilicet ut qui meritis tutari nequibam, beati martyris Iuliani saluarer subsidio. In quo dum commorarer vico, vnus puer ex nostris, ab hoc morbo corripitur: reclinatoque ad lectulum capite, grauius agere cœpit. Erat autē febris assidua cum stomachi pituita, ita ut si aliquid acciperet, confestim rejiceret. Nec erat ei cibus confortatio, sed magis exitus putabatur. Denique mei cum viderent cum in extrema vexari, ariolum quendam inuocant. Ille verò venire nō differens, accessit ad agrorum, & artem suam exercere conatur, incantationes immurmurat, sortes iactat, ligaturas collo suspendit, promittit viuere, quæ ipse mancipauerat morti. Hæc autem me nesciente agebantur: quæ cum mihi delata fuissent, amarissimus reddor, & cum graui suspitio illud cōmemoro, quod Dominus per Eliam Prophetam Ochozię Regi pronunciat, dicens: Quia dereliquisti Dominū Deum Israel, & consuluisti deum Accaron, idē de lectulo, in quo ascendisti, non cōsurges, sed morte morieris. Nam iste post aduentum arioli validius febre succensus, spiritum exhalabat.

4. Reg. 1.
Derestabile
malum, cō-
sulere ario-
los.

bat. Cuius post obitū, interpositis paucis diebus, puer alius simili laborare cœpit incommo- do. Tunc ego, Ecce, inquit, accedite ad martyris tumulum, & aliquid exinde ad ægrotum deportate: & videbitis magnalia Dei, atq; cognoscetis, quid sit inter iustum & iniustum, & inter timentem Deum, & non seruientem illi. Accedentes autem, parumpèr pulueris circa sepulcrū iacentis sustulerunt. De quo vt haufit infirmus cum aqua, protinus affecutus est medicinam, recuperatisq; viribus, ac restituta febre, conualuit. Intelligite ergo nunc, o omnes, qui insipientes estis in populo, & postquam ita discusseritis, scitote quia nihil sunt, quæ ad seducendum humanum genus diabolus operatur. Ideo moneo, vt si quis vexillo Crucis signatus, si quis baptisimi ablutione mundatus, si quis vetustate deposita, in nouo nunc homine viget, talia postponat ac negligat: quarat autem patrocinia martyrum, per quos sanitarum miracula celebrantur: postulet adiutoria confessorum, qui merito amici sunt domini nuncupati, & quæ voluerit, obtinebit.

Certè hoc præclarū est miraculum.

Nota cõsili- um sanctissi- mi Episcopi

Cap. 46. De rosis, ad sepulcrum eius diuinitus ostensis.

Eo tempore, cum post obitum Perferij martyrii, Urbanus diaconus huius basilicæ ordinatur ædituus, mira res ad sepulcrum sancti apparuit. Nam vigilante diacono in lectulo suo, auditus est sonitus, quasi ostium basilicæ panderetur. Post multarum verò horarum spatium, audiuit ipsum iterum claudi. Post hæc surgens de stratu, præcedente lumine, accedit ad tumulum sancti. Mirum dictu, vidit pauimentum rosis ru- tilantibus esse respersum. Erant autem magnæ valde, cum * flagrantia odoris immen- si: in ipsas quoque cancelli cælaturas mirabatur rosas intus. Nonus enim erat mensis, & hæ ita erant virides, vt eadem ipsa putares hora & momento ramis virentibus esse decerptas. Tunc cum grandi reuerentia collectas secretius posuit, multis exinde in- firmis medicamenta distribuens. Nam energumenus quidam ex Turonico veniens, vt exinde delibuto potum sumpsit, eiecto dæmone, purgatus abscellit.

Rose pul- cherrimæ in Nouembri apud tumu- lu S. Iuliani

Energume- nus curatur.

Cap. 47. De muliere illuminata.

Mulier quædam à natiuitate cæca erat, quæ se exhiberi à parētibus ad beati Martini tumulum deprecata est. Vbi cum venisset, prostrata per triduum ad cancellos, qui ante sepulcrum sancti Antistitis habentur extrinsecus, responsum accepit per somni- um, dicente sibi sancto viro: Si lumen recipere desideras, require basilicam sancti Iuliani: in qua dum præsidium martyris expetes, ille coniunctus Martino, visum tibi ne- cessarium, simul orationum suarum suffragijs reuocabit. Exurgens autem mulier, & ignotans, quod in Turonico huius martyris reliquæ tenerentur, ad Santonicam vr- bem iter dirigit. Victorina etenim mater familiæ, ex nobili stirpe progenita, in vrbis suæ territorio basilicam construxerat, reliquiasque beati martyris condiderat. Ad hanc ergo adem mulier accedens, orat per triduum. Die autem tertia aduenit nata- lis Baptistæ Dominici. Stante autem populo, & lectionum dogmata auscultate, subitò murmur magnum oritur: presbyter verò, qui solēnia celebrabat, comprimere vo- ces cupiens, interrogat quid hoc esset. Cui vnus ex adstantibus ait: Murmur mitesce- re non potest: quia virtus Domini miraculum prodidit. Ecce enim mulier illa, quæ se cæcam testabatur ortam, erumpente ab oculis sanguine, visum recepit. Tunc omnes benedixerunt Deum, cognoscentes pariter, quæ fuerant gesta.

Solēnis dies natalis S. Io- hannis Ba- ptistæ.

Cæca videt.

Cap. 48. De reliquijs, quas Nauinus presbyter detulit.

Nauinus presbyter domus Vibriacensis, martyris huius gloriosi reliquias expetiuit, quas ex iussu beati Auiti Pontificis sumptas, cum psallentio vsque ad basilicam sancti Ferreoli, quæ procū ab ipso vico sita est, perduxisset, vnus ex energumenis est mun- datus. Procedens autem psallendo, cum ad Medianam peruenisset, palam hoste im- proba virtute sancti depulso, puella alia purgata discessit.

Alius ener- gumenus pur- gatur. Itē alia dæmoniaca

Cap. 49. Quod eiusdem reliquijs multi infirmi sanati sunt.

Accedens autem ad locum, vbi oratorium, quod in honorem sancti construxerat, posuit hæc pignora in altari sancto. Veniens autem ad eum vnus cum amissis oculis, alius manu debilis, impleta oratione, hic lucē percipit post tenebras, manus ille vsum post oca diuturna. Mulier etiam, nomine Aeterna, cum filia, ab hoste iniquo vexata, ad hoc altare curata, cum prole sospes abscellit.

Multi sa- nantur.

Cap. 50. De alio cæco illuminato.

Frigoretici etiam in illo loco multi sanati sunt. Sed quoniam non est absurdum, si beatus

beatus Iulianus cum Iohanne aut Martino dona sanitatum impertiatur, cum quibus victor seculi in celo tripudiat: referam adhuc, qualiter cum Nicetio Lugdunensi simili virtute floruerit. Igitur infra terminum territorij Turonici Litomeris quidam in honore sancti martyris basilicam edificauit, in qua nos ex more ad benedicendum euocati, sancti Iuliani martyris pignora cum Nicetij Lugdunensis reliquijs collocauimus. Sed non multo post tempore cæcus adueniens, dum fideliter orationem fudit, visum recipere meruit. Memini huius rei in libro vitæ sancti Nicetij: quia dignum est, ut communis virtus vtriusque sancti scripta connectat.

Cæc^o videt. Iste S. Nicetij vitahabetur Tom. 2. Aprilis secunda.

Nota preces tanti pontificis.

Ex his miraculis Lector intendens intelligat, non aliter nisi martyrum, reliquorumque amicorum Dei, adiutorijs se posse saluari. Ego autem Domini misericordiam per beati martyris Iuliani patrocinia deprecor, ut aduocatus in causis alumni proprii coram Domino assistens, obtineat, ut absque impedimento maculæ vllius, huius vitæ cursum peragam, atque illa, quæ confessus sum in baptismo, irreprehensibiliter teneam, fideliter exerceam, ac viriliter vsque ad consummationem huius vitæ custodiam, Amen.

COMMENTARIVS DE SANCTO PROPHE- TA ET PRAECURSORE ET MARTYRE IOHANNE

*Baptista, ex Simeone Metaphraste. Nos numerum
capitum margini adiecimus.*

29. Augusti
Cap. 1.

Matth. 11.



IOHANNEM Baptistam, magnū illud decus orbis terrarum laudare, desiderare quidem licet omnibus: ut pro dignitate autem laudet, nemo potest cōsequi. Quis enim illi laudem cōtinet pro dignitate, quem omnibus hominibus esse superiore dicit omnium opifex? Quoniam autem hic est illius amicus, & perfectus imitator, ei quoque omnino gratū fuerit id, quod sit pro viribus. Sunt ergo a vobis res illius narrandæ, diuini Lucae vestigia sequentibus, vnde nā ortus sit, & quomodo, & quenam fuerit eius educatio, & quonam fine vitæ vsus sit hic vir magnus & admirabilis. Dicenda sunt autem, non ut narrentur ijs, qui nesciunt, (Quomodo enim, cum omnes res illius celebrentur ab omnibus) sed ut omnino percipiamus voluptatem in eis commemorandis. Sic verò habent:

Cap. 2.
Luc. 7.
1. Para. 24.

S. Iohannis
parentes.

Carere liberis, patribus veteris testamenti, maximo fuit probro.

Cap. 3.
Luc. 1.

Angeli parentes hominibus semper metum soluant.

Iohan.

Temporibus Herodis, qui fuit Rex Iudææ, sacerdotem dicit fuisse diuinus hic Lucas, Zachariam quidem nomine, ex vice autem Abiæ: quæ in sorte sacerdotum octaua erat. Ei autem fuisse etiam uxorem, quæ orta quidē erat ex filiabus Aaron, ut vtrinquē esset Zacharias sacerdos legitimus. Vocabatur autem Elisabeth. Eis verò suo testimonio tribuit iustitiam ante oculos Dei. Ipsa enim est ea, quæ est vera iustitia: quando quidem ei soli aperta sunt corda hominum. Et quod in omnibus eius mandatis & iustificationibus ambularent citra reprehensionem. Quamquam autem essent tanta virtute præditi, eos tamen dicit caruisse liberis: quod erat probro veteribus, non leue & contemnendum, sed aliorum omnium grauissimum. Quod quidem vobis magno debet esse solatio, quicumque bonæ quidem vitæ vobis estis conscij: sapere verò vobis minus æquæ & prosperæ succedunt res humanæ.

Huic autem Zachariæ, dum sacerdotali munere fungeretur, visum esse dicit Angelum Domini stantem a dextris altaris. Cuiusnam autem altaris? Incensum. Erat enim alterum oblationum. Et Zachariam quidem illic solum subsisse in ipsa hora incensum, totam autem populi multitudinem fuisse extrā, vrentem oratione. Conturbato verò & perterrefacto Zacharia propter spectaculum, Angelum ei soluentem metum, dixisse: Noli timere: audita sunt enim preces tuæ. Te autem fuisse exauditum probatur, quod & sit tibi promissus filius, & significetur, quemadmodum sit vocandus, & quod propter eius ortum prædicatur gaudium. Sed quid, dixerit quispiam, est consequens, ut ille, qui pro populi peccatis intercedit, accipiat promissionem, fore ut ei nascatur filius? Est certè valde consentaneum & conueniens. Nam qui ab illo erat suscipiendus, is erat futurus præco agni, qui tollit peccatum mundi: quemadmodum ille ipse clamat.

Eurum